

Jacobs, Pierre, 1781 – 1870

EXERCITIA SPIRITUALIA

IN SACRA OCTO DIERUM SOLITUDINE

EX TEXTU ET JUXTA METHODUM

SANCTI PATRIS IGNATII.

ET DUO TRIDUA

AD PIUM USUM

SACERDOTUM AC RELIGIOSORUM

A Sacerdote Societatis Jesu

CUM APPROBATIONE EMI CARD. ARCHIEP. STRIGONIENSIS
ET SUPERIORUM PERMISSU

AD EXEMPLAR EDITIONIS POSONIENSIS ANNO 1862.

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
J 151
Alma, California

TYPIS COLL. SS. CORDIS AD WOODSTOCK

1892.

6415

Ducam eam in Solitudinem et loquar ad cor ejus.—Oseæ ii. 14.

Venite seorsum in desertum locum et quiescite pusillum.—Marci vi. 31.

Concaluit cor meum intra me ; et in Meditatione mea exardescet ignis.—Ps. xxxviii. 4.

Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui.—Ps. lxxvi. 5.

Et meditatus sum nocte cum corde meo et exercitabar ; et scopebam spiritum meum.—Ps. lxxvi. 6.

NOTANDUM.

Quoad Scopum et Utilitatem hujus Opusculi.

Quoniam non singulis Sacerdotibus, pio salutis suæ desiderio, ac in via perfectionis proficiendi zelo imbutis, contingere solet, ut quotannis cum aliis Sacerdotibus coadunati, sacris Exercitiis excoli possint; ad facilem eorum usum et spirituale commodum profecto proderit, ut libellum hunc ad manum habeant, in quo et methodum fructuose meditandi ediscant, et ex textu Sancti Ignatii Meditationes, in quatuor hebdomadas compendiose distributas, veluti præmeditatas reperiant.

Quod in Directorio Exercitiorum de proponenda Meditatione, Cap. VIII. monetur: "In proponendis punctis Meditationum non oportebit ea valde exaggerare, aut etiam ita enucleare, ut, qui meditatur ipse nihil novi per se invenire possit, aut certe ægre.—Ideo satis erit, quasi digito indicare venam, quam deinde sibi quisque effodiat. Si tamen essent aliqui minus capaces, iis possent paulo magis declarari."

Hoc ego monitum, simul et praxim meditandi fideliter observans, non solum simplici et obvio modo venam digito indicare, sed quodammodo illam aperire, hoc opusculo conatus sum; ut dein quilibet (etiamsi aliqui minus capaces forent) hanc sibi venam facili methodo et proprio exercitio uberius effodiat, ac uberem fructum in gaudio cordis afferat.

Adduntur *Considerationes* per singulos dies Exercitiorum distributæ, quæ singulariter *Officia* edocent, quæ pius Exercitans, conformiter ad Scopum illius diei, adimplenda agnoscet.

Punctula . . . . quæ interjiciuntur meditationibus, denotant, pausam ibi pro reflexione fieri posse.

Methodus fructuose meditandi.

Meditari est *mentis exercitatio*, qua veritatem aliquam religiosam, sive dogmatica illa sit, sive moralis, perpendendam assumimus, ut intellectus ea veritate percellatur; voluntas autem ad eam amplectendam, et vitæ rationem conformiter instituendam moveatur.

Est itaque meditatio exercitium trium potentiarum seu facultatum animæ. *Memoria* id in mentem revocat, quod fides divina nos desuper docet. Nimirum: *quis* locutus sit vel egerit: *Quid—ubi—quomodo—quando.*

Intellectus propositam veritatem ponderat, ut de ea penetretur; etiam rationes adducit, quibus ad illam suscipiendam moveatur. *Voluntas* illis rationibus mota et perculsa, *affectus animi* elicit; atque serio statuit, juxta agnitam veritatem vitam agere et *fructum capere.*

In Praxi sex puncta seu quæstiones fiunt:

1. Quæ *materia meditationis* meæ? Seu quam veritatem pie meditandam assumpsi? (Est Exercitium memoriæ.)

2. Quid desuper *est considerandum?* Quæ *veritas practica* inde deducenda est ceu norma, qua vitam meam hic et nunc salutariter instituam?

3. *Quæ rationes* adsunt seu motiva, quibus ad hanc veritatem sectandam inducar? Nempe: quam sit *gloriosum—justum—utile—facile—necessarium?* (Est Exercitium intellectus.)

4. Quomodo hanc veritatem in diversis vitæ meæ practicæ adjunctis huc usque *secutus sum?* (Vide Medit. p. 124.)

5. Quid mihi inposterum *agendum* incumbit? *Quid faciam* ut juxta finem meum sancte vivam, et vitam æternam lætus consequar? (Est Exercitium voluntatis.)

6. Quæ *obstacula* mihi manent amovenda et superanda? quæ *media* efficaciter *adhibenda?* (Est fructum capere.)

INDEX MATERIARUM.

Pag.

Notandum quoad Scopum et Utilitatem operis 3
Methodus fructuose meditandi 4
Invocatio Sancti Spiritus.—Veni Sancte Spiritus 7
Index Meditationum in 8 dierum Exercitiis 7
Lectio Spiritualis Exercitiorum tempore 9
Ordo diurnus durantibus Exercitiis 10
Præfatio ad sacra Exercitia 11
Scopus et fructus primæ hebdomadæ Exercitiorum 15
" " " secundæ hebdomadæ 16
" " " tertiæ hebdomadæ 17
" " " quartæ hebdomadæ 18
Oratio præparatoria in conspectu Domini 19
Oratio : Anima Christi. Ad finem Meditationis 19
" Suscipe Domine univers. libert. meam 20
" Virginum Custos et Pater S. Joseph 20
Colloquium in fine Meditationis 20
Reflexio super meditatione 21
Examen Conscientiæ Generale et Particulare 22
Regulæ vitæ Sacerdotalis 23
Recollectio menstrua 24
Tres modi orandi. Regulæ ad spirituum discretionem 27

Exercitia Spiritualia.

Dies I. Medit. I. Fundamentum. De fine hominis 31
Medit. II. De fine cæterarum creaturarum sup. terram 35
" III. Quid protest homini, si 124
" IV. Finis Religiosi vel Sacerdotis 38
Consideratio : De sancta Indifferentia et Conformitate 143
Dies II. Medit. I. Malitia peccati. De triplici peccato 42
Medit. II. De peccatis personalibus 46
" III. Malitia peccati in Sacerdote 50
" IV. De peccato veniali 126
Consideratio : De tepiditate in Dei Servitio 146
Dies III. Medit. I. De pœnis in Inferno sempiternis 54
Medit. II. De morte peccatoris et justi Sacerdotis 57
" III. De judicio particulari 128
" IV. De judicio universali 61

Pag.
Consideratio : De causis ruinæ spirit. Deo dicatorum 150
Dies IV. Medit. I. Lapsus et pœnitentia Petri 65
Medit. II. Misericordiæ Dei admirabiles effectus 130
" III. De Regno Christi 69
" IV. De Incarnatione Filii Dei 73
Consideratio : De passione prædominante subjuganda 153
Dies V. Medit. I. Contemplatio de Nativitate Domini 77
Medit. II. Contemplatio de Fuga in Ægyptum 81
" III. Vita Jesu Christi abscondita 84
" IV. Modestia Jesu Christi et mansuetudo 132
Consideratio : De fuga Otii 156
Dies VI. Medit. I. Vita Jesu Christi activa 87
Medit. II. De duobus vexillis 91
" III. De tribus hominum classibus 95
" IV. De tribus modis humilitatis 134
Consideratio : De Conversatione cum proximo 160
Dies VII. Medit. I. Passio interna Jesu Christi 99
Medit. II. De Christi Jesu dira flagellatione 136
" III. Contemplatio Jesu Crucifixi 102
" IV. Contemplatio SS. Cordis Jesu 106
Consideratio : De interna et externa Mortificatione 163
Dies VIII. Medit. I. Resurrectio Domini Nostri Jesu Christi 110
Medit. II. De vita Christi gloriosa in Cœlo 138
" III. Contemplatio Cœli 113
" IV. Ad excitandum amorem spiritualem 117
Consideratio : De oratione vocali 167
Medit. finalis : De amore erga Jesum et Mariam 121

Duo Tridua Exercitiorum.

QUEMADMODUM SACERDOTIBUS TRADI SOLENT.

Triduum I. p. 140 et Triduum alterum 141

Considerationes.

QUÆ HORA POMERIDIANA ASSUMUNTUR.

Discrimen inter Meditationem et Considerationem 142
Consideratio I. De sancta indifferentia et Conformitate 143
" II. De Tepiditate in Dei servitio 146
" III. De causis ruinæ spiritualis 150
" IV. De passione prædominante subjuganda 153
" V. De fuga otii 156

Pag.
Consideratio VI. De conversatione cum proximo 160
" VII. De interna et externa Mortificatione 163
" VIII. De oratione vocali 167
" IX. De dignitate Status sacerdotalis 170
" X. De zelo Sacerdotis adinstar zeli Jesu Christi 174
" XI. De oratione Sacerdotis 177
" XII. Sacerdos ad Altare Sacrificium offerens 181
" XIII. Sacerdos in Confessionali animas sanans 184
" XIV. Sacerdos in Cathedra fideles erudiens 187
Vade mecum, seu spirituale Viaticum 191
Oratio cum Indulgentiis: En ego, O bone et dulcissime Jesu 191
Litaniæ Sanctissimi Nominis Jesu 192

Ante Orationem

AD IMPLORANDAM SPIRITUS SANCTI GRATIAM.

Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda Fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur,

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus,

DEUS, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.—AMEN.

ELENCHUS MEDITATIONUM

Pro sacris octo dierum Exercitiis.

Dies I. SCOPUS DIEI: Finem Creationis et Vocationis perpendere.

Medit. I. Finis hominis proximus et ultimus.

" II. Finis cæterarum creaturarum super terram.

" III. Destinatio hominis Religiosi vel Sacerdotis.

Consideratio de Conformitate nostra cum Dei voluntate.

Dies II. SCOPUS DIEI: Malitiam peccati cognoscere et dolere.

Medit. I. Malitia peccati in se (de triplici peccato).
" II. Peccata personalia—malitia nostra.
" III. Malitia peccati in Sacerdote.
Consideratio de Tepiditate in Dei servitio.

Dies III. Scopus Diei: Pœna et tristes peccati sequelæ.
Medit. I. Pœna in Inferno sempiterna.
" II. Pœna mortis. Mors peccatoris et justi Sacerdotis.
" III. Ultimum universale judicium.
Consideratio de Causis ruinæ spirit. virorum religiosorum.

Dies IV. Scopus Diei: Conversio ad Deum per pœnitentiam.
Medit. I. Lapsus et conversio Petri.
" II. De Regno Christi.
" III. Incarnatio Verbi divini.
Consideratio de passione prædominante subjuganda.

Dies V. Scopus Diei: Imitatio Jesu Christi.
Medit. I. Nativitas Christi. (Ejus paupertas.)
" II. Fuga in Ægyptum. (Conform. in Dei Voluntatem.)
" III. Erat subditus illis. (Admirabilis Obedientia.)
Consideratio de fuga otii.

Dies VI. Scopus Diei: Certamen sub Vexillo Christi.
Medit. I. Vita activa Jesu Christi. (Zelus et Charitas.)
" II. De duobus Vexilis.
" III. De tribus hominum Classibus.
Consideratio de conversatione cum proximo.

Dies VII. Scopus Diei: Imitatio in schola Crucis.
Medit. I. Passio Jesu Christi interna.
" II. Contemplatio Crucifixi.
" III. Ad amorem spiritualem excitandum.
Consideratio de interna et externa mortificatione.

Dies VIII. Scopus Diei: Triumphus post partam Victoriam.
Medit. I. Resurgens Jesus apparet Bmæ. Matri suæ.
" II. Contemplatio Cœli.
" III. Ad amorem spiritualem excitandum.

Consideratio de Oratione vocali.

Meditatio pro Conclusione de amore nostro erga Jesum et Mariam.

N. B.—Præplacet Nonnullis loco Considerationis quartam Meditationem qualibet die assumere. Hæc quarta meditatio, compendiose tradita, ad usum eorum per singulos dies ad Calcem VIII. diei adjungitur.

Licebit etiam, quod S. Ignatius singulariter commendat, pro IV. Medit. Repetitionem unius vel alterius illius diei meditationis facere, unde majorem pietatis affectum percipimus : moram faciendo in iis repetendæ meditationis punctis, in quibus majorem experti sumus consolationem vel desolationem ; vel majorem sensum spiritualem invenimus.

Materia Considerationis in utroque casu pro lectione spirituali utiliter deserviet, non omittenda.

LECTIO SPIRITUALIS.

Præter caput ex Thoma Kempensi de Imitatione Christi, quod post singulas meditationes adnotatur, pro assignata Lectione Spirituali assumi poterit Caput unum ex Sacra Scriptura ; vel si aureus libellus : *Memoriale Vitæ Sacerdotalis*, ad manum sit, ex illo Caput unum ; aut ex utroque simul juxta sequentem normam Lectio fieri poterit.

Dies	I.	Ex Sacra Scriptura : Matth. xx. 1–17. Operarii in Vinea. Ex Lib. Memoriale : c. 2. De statu Sacerdotali.
Dies	II.	Ex Sacra Scriptura : Matth. xxv. Talenta servorum 14–56. Ex Lib. Memoriale : c. 8. De malis oriundis ex improba Vita.
Dies	III.	Ex Sacra Scriptura : Matth. xxiv. De die Judicii. Ex Lib. Memoriale : c. 11. De Morte.
Dies	IV.	Ex Sacra Scriptura : Lucæ xv. 11–32. De filio prodigo. Ex Lib. Memoriale : c. 25. De studio fundamental. Virtutum.
Dies	V.	Ex Sacra Scriptura : Lucæ i. 26–56. Verbi Incarnatio. Ex Lib. Memoriale : c. 27. De humiliatione sui ipsius.
Dies	VI.	Ex Sacra Scriptura : Lucæ xi. 1–29. Modus orandi et persev. Ex Lib. Memoriale : c. 24. De robore animi.
Dies	VII.	Ex Sacra Scriptura : Matth. xxvi. 36–75. Chr. patientis histor. Ex Lib. Memoriale : c. 20. De compunct. Cord. ad ped. Crucif.
Dies	VIII.	Ex Sacra Scriptura : Marci xiv. Christi Resurrectio. Ex Lib. Memoriale : c. 15. De Cœlesti Gloria.

Cæterum ex quovis Libro spirituali, qui huic fini conveniens videbitur, juxta cujusque beneplacitum hæc Lectio absolvi poterit.

Merito commendatur libellus : *Examen ad usum Cleri.*

ORDO DIURNUS.

Exercitiorum tempore.

HORA.	
5 00	Surgitur.—Preces matutinæ.
5 30	Meditatio per horam.—Reflexio super Meditatione.
6 45	Sacra Miss. — Jentaculum. — Lectio ex Thoma Kemp.—Tempus liberum.—Notantur lumina.—Vel fit præparatio ad Confess.
8 00	Recitantur horæ Canonicæ.
8 45	Præparantur puncta ad II. Meditationem.
9 00	Meditatio.
10 00	Reflexio.—Visitatio Sanctissimi.—Lectio ex Thoma Kemp. Cap. assignatum.
10 30	Tempus liberum.
12 15	Examen particulare super observantia Exercitiorum.
12 30	Prandium.—Tempus liberum.—Visitatio Sanctissimi.—Recitari possunt Litaniæ SS. Nominis Jesu. (vide in fine.)
	———
2 30	Consideratio per horam.—Vel pro libitu fit quarta meditatio.—Visitatio Sanctissimi.
4 00	Lectio spiritualis.
4 15	Vesperæ cum Completorio.—Matutinum cum Laudibus.
5 00	Tempus liberum.
6 00	Præparantur puncta ad Meditationem.
6 15	Meditatio—Reflexio.—Visitatio Sanctissimi.
7 15	Capitulum assignatum ex Thoma Kemp.
7 45	Cœna.—Tempus liberum, sub quo recitatur Coronula Beatissimæ Virginis. (obambulando.)
9 00	Dicuntur Litaniæ in Sacello domestico.
9 15	Præparantur puncta matutinæ Meditationis.
9 30	Fit Examen generale. Oratio vespertina.
9 45	Ad quietem.

NOTA.—Tempore Exercitiorum Sacerdotes solent abstinere a celebratione Missæ, quam tamen quotidie devote audient.

PRÆFATIO.

Ad Sacra Exercitia.

Venite seorsum in desertum locum, et quiescite pusillum.—MARCI vi. 31.

Discipuli missi a divino Magistro in opus ministerii, ad quod eos elegerat, revertebantur gaudentes, eo quod benedictione desursum, ac uberrimo fructu conatus laboresque suos coronatos agnoscerent.

Nunc vocat illos Jesus seorsum, et in desertum locum inducit; præcipiens, ut pusillum a laboribus suis quiescant.

Neque ea solum de causa Dominus discipulos suos pusillum quiescere præcipit, ut vires corporis reficiant; at vero magis, ut vires animæ reficiantur, atque illi novo Spiritu imbuantur. Vult nimirum divinus Magister eos ducere in Solitudinem, ut ibi ad cor eorum loquatur, et illi spiritu mentis suæ renoventur; quo magis apti evadant pro labore in vinea sua, ad quem eos elegerat et destinaverat.

Et hic horum Exercitiorum finis est, in quæ, Spiritu Sancto in hanc solitudinem nos ducente, generoso animo ingredimur; ut seorsum segregati, et a quotidianis laboribus pusillum vacui, vocem Domini ad cor nostrum loquentis audiamus, spiritu renovemur, novumque animum et vires pro novo labore in vinea Domini, acquiramus.

Ita Moyses, legem scriptam a Deo accepturus, seorsum in montem se recipiebat, ut sacro cum Deo colloquio vacaret.

Ita ipse divinus Salvator, opus aggressurus, quod illi Pater imposuerat, a Spiritu Sancto in desertum ductus est.

Atque Sancti Apostoli, ipso Domino jubente, in cœnaculo congregati sunt, præstolantes adventum Spiritus Sancti; ubi unanimiter cum Maria Matre Jesu in oratione perseverabant.

Juvat autem, ut uberior fructus in hac sacra solitudine colligatur, ad tres quæstiones eos, qui exercitantur, attentos

facere, easque obvio sermone, juxta Annotationes Sancti Ignatii, explicare:

I. Quid sunt sacra Exercitia, et quis eorum scopus?

II. Quos fructus hæc Exercitia solent producere?

III. Quomodo peragenda sunt, quæ dispositio adferenda?

I.

Quemadmodum quilibet motus corporis: ire — currere — ambulare, exercitia sunt corporalia; ita Exercitiorum spiritualium nomine quilibet modus intelligitur, quo vires animæ: Imaginatio — memoria — intellectus — voluntas exercentur. Itaque quilibet modus examinandi conscientiam, — meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter, atque aliarum operationum spiritualium, hæc simul sumpta, Exercitia spiritualia dicuntur.

Scopus autem horum Exercitiorum, quo fine ea peragenda sint, a Sancto Ignatio triplex indicatur:

1. Ut præparetur et disponatur animus, ad tollendas a se omnes male ordinatas affectiones.

2. Et iis sublatis, ad quærendam et inveniendam voluntatem Dei circa vitæ suæ institutionem, seu status perfectionem.

3. Ad singularem Dei gratiam obtinendam, ut digne ambulando juxta hanc sanctam vocationem, Dei voluntatem fideliter impleamus, et animæ salutem consequamur.

Triplex hic finis Exercitiorum triplici viæ correspondet, quam in vita spirituali percurrimus, et quas vias sanctus Ignatius in quatuor hebdomadas distribuit.

Affectiones male ordinatas tollere, et ab omni peccato se mundum facere; est *via purgativa.*

Quærere et invenire voluntatem Dei, ut sciamus, quid nos operteat facere; quomodo ambulare; est *via illuminativa.*

In omni re cognitam Dei voluntatem fideliter exequi, ut illi placeamus, et per amorem ei uniamur, est *via unitiva.*

II.

Fructus, quos hæc spiritualia Exercitia certo proferunt (nisi is qui ea peragit, ipse divinæ gratiæ obicem ponat) admodum salutares sunt:

Ipse Deus animam nostram ducit in solitudinem, ut ad cor nostrum loquatur, illudque ardens efficiat.

a) *Immittit lumen suum* super nos, quod omnes tenebras dissipat; quo lumine illustrati finem Creationis nostræ, propter Deum et vitam æternam, cognoscamus; pulchritudinem virtutis et fœditatem peccati, nec non rerum terrenarum caducitatem, videamus; atque media sciamus vitam æternam nobis comparandi.

b) Neque solum in his Exercitiis lumen suum Deus impertitur; sed insuper *thesauros suæ divinæ gratiæ largiter aperit*, qua gratia voluntas roboratur, et ad ea media efficaciter amplectenda impellitur.

Idque adeo felici successu, ut etiam maximus peccator hujus divinæ gratiæ impulsui vix valeat resistere.

Non raro solet contingere (etiam inter personas Deo consecratas) ut peccator, cum jam in profundum peccati venerit, contemnat et omne Dei consilium spernat, atque omnia conversionis media a se abjiciat. Talis experitur in corde suo, quod non sit pax impiis; atque jam nihil amplius adesse videtur, quo pax animæ perdita ei reddatur.

In hisce exercitiis novum lumen illi oboritur: "Peccator videt et intelligit, quam malum et amarum sit, dereliquisse se Dominum Deum suum."—Timor salutaris judiciorum Dei, pudor et detestatio de peccatis commissis in corde ejus exoritur; de profundis clamat ad Dominum, et in animo contrito confitetur: "*Tibi soli peccavi* et malum coram te feci!"

Hac divina Gratia impulsus pœnitens peccator, ad Ananiam accedit; illi, qua vices Dei gerenti, animæ vulnera detegit;

candide et integre peccata confitetur, etiam illa anteactæ vitæ, de quibus numquam sincere doluit; quæ fors ex verecundia aut timore eo usque sacrilege reticuit.

Audit et accipit absolutionem: "*Ego te absolva a peccatis tuis.*" Eo instanti sentit peccator vincula sua dirupta: molam quasi asinariam, qua premebatur cor ejus, sentit sublatam: Lacrymæ pœnitentiæ alleviant animum ejus. Nunc gaudens misericordiam Dei extollit, quia non fuit consumptus.

III.

Dispositiones nonnullæ, ut hunc fructum sacra Exercitia proferant, adferendæ sunt; quarum aliquæ internæ, aliæ sunt externæ.

Dispositio *interna* est desiderium perfectionis, ut illuminemur, et a Domino adjuvemur: "Notum mihi fac, Domine, finem meum, ut sciam quid adhuc mihi desit."

Non sinamus nos vel humano respectu ad ea induci; vel aliquo timore abripi: "Non habet amaritudinem conversatio illius."

Multum proderit, ait S. Ignatius, intrare in Exercitia animo magno et generoso, omne suum velle et libertatem Creatori offerendo.—Ante orationem autem cor nostrum præparemus.

Dispositio *externa*: Exacta observatio ordinis diurni: *Silentium* stricte, idque in omni loco servandum est: "In silentio et spe fortitudo nostra" cui benedicit Dominus. In hisce Exercitiis conversatio nostra est cum Deo; hæc omnem conversationem cum hominibus excludit.

Proposita, haud equidem nimis multa, sed practica fiant quæ illico executioni mandari possint.

Nihil agatur, legatur, scribatur, quod ad Exercitia non pertineat.—Ne quæramus scientiam acquirere, sed totam voluntatem nostram in Dei servitium propriamque salutem flectere et inflammare.

EXERCITIORUM

I. Hebdomadæ Scopus et Fructus.

VIA PURGATIVA. (*Additiones S. Ignatii.*)

Scopus Exercitiorum *I. hebdomadæ*, quæ fundamentum reliquarum est, eo tendit, ut is, qui exercitatur, in perfectam cognitionem *finis*, ad *quem a Deo creatus est*, perveniat, atque firmum concipiat propositum, omne illud a se amovendi, quod in assequendo fine impedimento esse possit. Tum etiam sanctam erga quascumque res *Indifferentiam*, quatenus suo fini non sint contrariæ, in se firmiter stabiliat.

Animus ejus eo excitandus est, ut unice in rebus omnibus quærens Deum, id velit amplecti, quod ad finem secure perducit: *tollendo* omnes *inordinatas affectiones*, et *quærendo Dei voluntatem*, eamque *adimplendo*.

Per serium dolorem de peccatis et integram Confessionem in Spiritu pœnitentiæ, sordes peccatorum curet abstergere. Propterea omnem operam impendat oportet, ut peccati *malitiam suamque vilitatem* probe noscat, atque intelligat quantopere a fine suo, malum coram Deo faciendo, defecerit.

Diligens examen hic instituendum est de peccatis, de numero eorum, gravitate, ac fontibus peccatorum; de abusu creaturarum, atque de modo, quo officia nostra impleamus—orationi vacemus—Sacramenta suscipiamus.

Observanda.

1. Omnis cogitatio evitanda est, quæ ad gaudium provocat.
2. Lumine diei, quantum fieri potest, carere oportet.
3. Opera quædam pœnitentialia in satisfactionem pro peccatis, utile erit adhibere.

Scopus et Fructus II. Hebdomadæ.

VIA ILLUMINATIVA.

Cum is, qui exercitatur, bene cognoverit, quantum a fine suo aberraverit ; et jam pondere peccatorum excusso, firmiter animum paraverit ad omnes inordinatas affectiones tollendas, ut se totum convertat ad Dominum Deum suum ; necesse illi est, ut *illuminetur* ad quærendam et inveniendam Dei voluntatem, *quid oporteat cum facere ;* atque ut *vires acquirat*, ad hanc Dei voluntatem explendam.

Oculos suos convertat oportet in Jesum Christum, qui est via, veritas et vita ; ut juxta exemplum, quod Dominus nobis dedit, vitam et gressus suos dirigat ; et per Jesum ad Patrem perveniat.

Destinationem suam, qua discipulus Christi est, bene noscere, atque ultra laudatam indifferentiam se extollere debet ; ut nimirum ad ea se inclinet, quæ Jesus Christus sibi elegit et amplexus est : ad *paupertatem—contumelias—humilitatem.*

Observanda—*Sicut in I. Hebdomada.*

1. Hæc Exercitia generoso animo suscipiantur ; ac magno desiderio viam tenendi qua Dominus nos præcessit, peragantur.

2. Mane cum primo evigilavimus, materiæ recordemur, quam meditandam assumpsimus, grandi desiderio imbuti, ut Mysterium incarnati pro Nobis Filii Dei sciamus, et ut ad amorem erga illum reciprocum accendamur.

Meditationes hujus II. Hebdomadæ formam habent *Contemplationis.* Additur unum Præludium Synopsim historiæ complectens.

Durante Contemplatione oculis mentis nostræ objicimus :

1. *Personas* et illud, quod sive bonum sive malum præseferunt.

2. *Sermones*, quos conferunt—sensus et cogitationes earum.

3. *Opera*, seu laude seu vituperio digna, quæ exhibent.
(Vid. Contempl de Nat. Domini.)

In singulis hisce punctis ad nos ipsos reflectimus, et attendimus, *ut fructum* spiritualem inde *capiamus.*

Scopus et Fructus III. Hebdomadæ.

VIA ILLUMINATIVA IN SCHOLA CRUCIS.

Hujus III. Hebdomadæ scopus est, animam in *suo proposito*, novam vitam instituendi, confirmare ; ut soli Deo adhæreat, ejusque S. Voluntatem perfecte adimpleat.

Quoniam autem, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, etiam in portanda Cruce illum sequi tenentur ; propterea præclara exempla, quæ Dominus in sua passione nobis dedit, in hac hebdomada meditanda proponuntur.

Prælud. I. Historiæ Synopsis in memoriam vocatur.

Prælud. II. Compositio loci : anima se ibi præsentem fingit, ubi passionis Mysterium nostra causa peragitur.

Prælud. III. Humilis oratio, ut sentiam dolorem cum Christo doloribus pleno ; confractionem cum Christo fracto viribus ; lacrymas, pœnam internam de tanta pœna, quam Christus passus est pro me.

Contemplatio peragitur. I. Mentis oculis *intuendo personas.* II. *Audiendo verba* earum. III. *Opera considerando.*

In quolibet puncto fructus colligendus : *Compassionis—Lacrymarum* pœnitentiæ – *Doloris—Cordis contritionis.*

Adduntur insuper tria puncta, quibus anima, hanc Domini passionem meditans, percellatur, et ad III. humilitatis gradum moveatur.

Punct. IV. Considerare et sentire, quæ Jesus in humana Natura pati voluit et patitur : Offerens Sacrificium *sanitatis* et *Vitæ suæ* . . . . Sacrificium sui honoris—et *consolationum animæ suæ* . . . . magno nisu me excitare, ad condolendum, tristandum, plangendum.

Punct. V. Oblatus est quia ipse voluit. Divinitas sese occultat, ut humana natura tam acerba pati possit . . . . Inimicos suos, si voluisset, facile potuisset destruere.

Punct. VI. Id potissimum considerabo, divinum Salvatorem hæc omnia *pati pro me* ingrato peccatore !

Inde colligam oportet, quid me vicissim deceat, ex amore reciproco, *agere* et *pati pro Illo !*

Scopus et Fructus IV. Hebdomadæ.

VIA UNITIVA.

Abstersis peccatorum sordibus, atque sublatis male ordinatis affectionibus, firmo jam proposito anima statuit soli Deo servire eique adhærere ; atque insuper cupiens exemplum Jesu Christi imitari, eique conformem fieri, se sentit inclinari ad viam paupertatis—contumeliarum—et crucis post Jesum ineundam. Nunc :

In *hac IV. hebdomada* potissimum intendit, per amorem *se Deo unire*, et æternæ *salutis desiderium* in se excitare ; hæc etenim beatitudo Vita æterna est, et ultimus finis, ad quem creati sumus. . . . . Hujus vitæ gloriosæ et æternæ Resurrectio Domini nostri Jesu Cristi illustre pignus est.

Præmissis tribus præludiis, sicut in II. hebdomada, I. *Personæ*—II. *Verba*—III. *Opera* contemplando considerantur.

Punct. IV. Singulariter considero, quomodo natura divina Jesu Christi, quæ tempore passionis veluti latens se occultabat, nunc iterum se palam manifestet, et vim suam aperte exerat, suscitans eum a mortuis, et tot miraculis se palam ostendens.

Punct. V. Attentum me exhibebo, quomodo Jesus post Resurrectionem suam glorificatus, properet Discipulos suos consolari, sicut amicus solatur amicum ; et quanta affabilitate hoc munus Consolatoris erga suos exerceat.

Insuper attendam, quod Apostoli a suo divino Magistro *juxta mensuram*, qua illum secuti erant, consolationem accipiant.

Ita et nos consolabimur, et juxta mensuram, qua Jesum in paupertate—sui abnegatione secuti, et cum ipso compassi fuerimus, certo glorificabimur. (Vide Medit. de Regno Christi.)

Durante hac hebdomada ejusmodi cogitationes et affectus concipere, in iisque inhærere satagamus, quæ spirituale gaudium in nobis valeant excitare.

ORATIO PRÆPARATORIA IN CONSPECTU DOMINI.

(*Semper eadem*)

Cuilibet Meditationi Præmittenda.

Benignissime Deus, qui hanc horam Meditationis mihi elargiri dignatus es, ut te laudem et devote *Te hic præsentem* adorem ; humillime gratiam tuam imploro ; ut animæ meæ vires ac operationes omnes pure dirigam in laudem atque obsequium tuæ divinæ Majestatis. . . . Et ut uberem fructum hujus meditationis consequar.—AMEN.

Sancta Maria, Mater Dei ! Beatissime Joseph ! et vos Sancti Patroni mei, quos hodie singulariter colo N. N. ; orate pro me.

ORATIO: ANIMA CHRISTI

(*In fine Meditationis.*)

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi munda me,
Passio Christi conforta me,
O bone Jesu exaudi me,
Intra tua vulnera absconde me,
(Amore Cordis Tui inflamma me,)
Ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meæ voca me,
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te,
In Sæcula Sæculorum. AMEN.

D. N. Papa Pius IX. Decr. 9 Jan. 1854. Septem annorum Indulgentias omnibus Sacerdotibus hanc orationem post Sacram Missam devote recitantibus benigne concessit ; quæ fidelibus defunctis applicari possunt.

Oratio: SUSCIPE DOMINE.

Suscipe Domine universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum.—Amorem tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Rescripto 26 Maii, 1883, D. N. Leo XIII. benigne concessit 300 dierum indulgentias semel in die omnibus hanc orationem devote recitantibus.

Oratio.

Virginum custos et Pater Sancte Joseph! cujus fideli custodiæ ipsa innocentia Christus Jesus et Virgo Virginum Maria commissa fuit: Te per hoc utrumque carissimum pignus Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia preservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariæ semper facias castissime famulari.—Amen.

Rescripto 23 Septemb. 1802, D. N. Papa Pius VII. benigne concessit unius anni Indulgentias, animabus in purgatorio applicabiles, toties ac sacerdotes hanc orationem devote recitaverint.

COLLOQUIUM.

In fine Meditationis Faciendum.

Juxta diversitatem materiæ Meditationis: v. g. ad meditationem de incarnatione, cogitabo, quid loqui debeam ad tres divinas Personas – vel ad Verbum incarnatum—vel ad Matrem ejus et Dominam nostram, id petendo, quod *ad magis sequendum et imitandum* Dominum nostrum judicavero expedire.

Hæc Colloquia non verbis exquisitis, sed in simplicitate cordis, cum pietate et affectu proferantur; sicut loqui solet filius ad patrem, servus ad dominum, amicus ad amicum, ægrotus ad medicum, debitor ad suum creditorem.

Tria colloquia fieri solent.

In I. Colloquio convertimur ad beatissimam Matrem Dominam nostram, humiliter rogantes, ut illa apud Filium pro nobis intercedat, gratiasque nobis exoret:

(*e. g. in Meditatione de Malitia peccati.*)

I. Internam cognitionem peccatorum nostrorum eorumque detestationem.

II. Agnitionem deordinationis operationum nostrarum atque emendationem.

III. Cognitionem mundi ejusque horrorem, et rerum mundanarum ac vanarum fugam.

Recitatur: AVE MARIA.

In II. Colloquio ad Dominum nostrum Jesum Christum confugimus, illum suppliciter rogando, ut donum harum trium gratiarum nobis a suo Patre cœlesti obtineat.

Dicitur: ANIMA CHRISTI.

In III. Colloquio ad Patrem cœlestem devota mente accedimus, supplicantes, ut benigne velit eas gratias nobis elargiri; pro nobis Filio suo Jesu Christo qua mediatore, et Domina nostra sancta Maria intercedente.

Dicitur: PATER NOSTER.

REFLEXIO SUPER MEDITATIONE.

Meditatione finita, brevis reflexio instituenda est. Si bene successerit Meditatio, gratiæ Deo agendæ sunt. At si ex parte nostra negligentia quædam subrepserit, doleamus infidelitatem nostram, et causam inquiramus.

De sequentibus punctis reflexio instituitur.

1. Quomodo ante Orationem præparavi cor meum? an Deum præsentem cogitavi? an præludia præmisi?

2. Quomodo animæ facultates: memoriam—intellectum exercui? an aridus, distractus fui? unde?

3. An voluntatem ad conformes actus eliciendos movi? an proposita convenientia sedulo feci?

4. Quos fructus ex meditatione collegi? quæ lumina percepi? Quas veritates clarius cognovi?

5. An Colloquia, præsertim in fine Meditationis cum affectu institui ad Matrem et per Filium ad Patrem?

6. An integrum tempus unius horæ meditationi dedi?

Lumina singularia, quæ percepimus et fructum quem collegimus; etiam proposita, quæ in singulari fecimus, breviter scriptis notare, multum proderit. Quæ scripta postmodum relecta, novos ad pietatem stimulos solent progignere.

Exercitiorum tempore preces quædam jaculatoriæ, ad affectum fovendum, fructuose eliciuntur: v. g.,

Omnia in tui laudem et amorem Deus meus et omnia!

Quid mihi est in cœlo, et quid volo super terram præter Te!

Quid prodest homini si mundum universum lucratus fuerit!

Cœlum et possessio Dei superat omnia.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

Utrumque Examen Conscientiæ: sicut *Generale*, ita et *particulare* sequentibus punctis absolvitur.

1. Gratias Deo age pro beneficiis hac die acceptis.

2. Pete lumen, ut defectus et peccata hodie commissa agnoscas.

3. Institue examen de cogitationibus, verbis, operibus.

4. Veniam a Deo humillime roga.

5. Propositum emendationis firmiter statue.

Durantibus exercitiis examen particulare fit super *ipsis exercitiis*, qua fidelitate ea peragamus.

Extra tempus exercitiorum examen particulare aliquem specialem defectum, seu malam consuetudinem pro objecto habet, quam cupimus corrigere, et oppositam virtutem acquirere.

Hoc examen tria tempora complectitur:

I. *Mane cum surgimus* serio nobis proponimus specialem defectum, cui obnoxii sumus, sedulo evitare.

II. *Circa meridiem* horæ circiter quadrantem ad hoc examen particulare impendimus.

a) Deum præsentem cogitamus, eique gratias persolvimus.

b) Lumen poscimus, ut defectum illum rite cognoscamus.

c) Examinamus numerum, quoties hac die in eumdem hunc defectum, vel malam consuetudinem lapsi simus.

d) Hunc numerum notamus in parte illarum linearum, quæ continuo decrescentes exhibentur.

e) Deum rogamus veniam—Propositum innovamus.

III. *Vespere simile examen* repetimus, atque numerum, quoties erratum fuerit, notamus.

Dein cordi habentes defectus hujus imminutionem, diem unum cum altero—unam cum altera hebdomadam comparamus; donec plena victoria fuerit reportata.

REGULAE VITAE SACERDOTALIS.

Hoc sacro tempore stabiliendæ.

1. Ordinem diurnum et ecclesiasticam vivendi normam tibi statue, quam sæpe relegas et constanter serves.

2. Orationi ferventer stude; piæ meditationi et lectioni quotidie vaca, et Officium divinum religiosissime semper persolve.

3. Missæ Sacrificium cum debita præparatione et gratiarum actione celebra; et SS. Sacramentum frequentur visita et adora, ubi fieri potest.

4. Examen conscientiæ vespertinum nulla die intermitte, et Confessionem sacramentalem *ad minimum* singulis mensibus facito; melius autem singulis hebdomadibus, si possis.

5. *Recollectionem* quamdam Spiritualem quolibet mense institue; et quotannis, si possibile, sacra Exercitia frequenta, aut solus ea perage. (Vid. infra.)

6. Ad litteras theologicas diligenter incumbe; occupationes profanas, et periculosa mundi consortia fuge.

7. Temperantiæ et sobrietatis studiosus esto; diesque jejunii religiose observa.

8. Beatissimam Virginem Mariam filiali devotione cole; et sanctorum Sacerdotum, quorum vitas relegas, vestigiis insiste.

9. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum; sicque labora, ut inter Ministros Dei fidelis inveniaris.

10. Ecclesiæ Romano-Catholicæ vivens, moriensque in omnibus consenti: Ipsi sanctæ Ecclesiæ, quæ vera sponsa Christi, et sancta Mater nostra est, prompto animo obedi.

11. In Sacratissimo Corde Jesu, perpetuum tibi serva habitaculum.

RECOLLECTIO MENSTRUA.

Oratio præparatoria solita. (*Pag.* 19.)

Prælud. I. Constitue te coram sanctissima Trinitate inter Angelos et Sanctos Dei, cui rationem redditurus es.

Prælud. II. Lumen posce ad cognoscenda beneficia, quæ hoc elapso mense a Deo accepisti, et gratiam exora ad concipiendam ferventem te emendandi voluntatem.

Punct. I.

Considera, quænam *singularia beneficia*, præter Gratiam Vocationis et perseverantiæ, hoc mense a Deo acceperis.

Ejusmodi singularia beneficia sunt: quotidiana pietatis exercitia; frequens Sacramentorum usus; gratiæ internæ et inspirationes, quæ a peccatis gravibus retrahunt et præservant a lapsu; amoris erga Vocationem augmentum; materna beatissimæ Virginis protectio.

Inde zelus major pro gloria Dei et propria salute; major gustus in rebus spiritualibus; affectus major ad sanctam paupertatem, castitatem et obedientiam, atque ad sui status officia et regulas, etiam ad crucem Domini ferendam; major affectus ad humilitatem, et sui abnegationem; melior profectus in studiis; seu successus uberior in sacris ministeriis et officiis.

Specialis denique Dei providentia in necessariis corpori suppeditandis. Verum est, quoniam bonus est Dominus, et in æternum misericordia ejus.

Beatissimam Matrem Virginem, et sanctos Patronos, quos singulariter colis, propterea invita, ut una tecum SS. Trinitati pro tot gratiis et beneficiis grates dignas rependant.

Pete supplicetur per illorum piam intercessionem, ut in sequentem mensem divina bonitas novas gratias tibi velit impertire.

PUNCT. II.

Considera *præsentem tuum statum*, utrum mense elapso te meliorem, quam antecedente præstiteris; expende:

1. *Erga Deum:* Utrum rarius, nec ita graviter peccaveris? Si ita, gratias Deo age, postula ardenter fervorem et diligentiam: sin aliter, causas frequentioris lapsus inquire, dole vehementer.

2. *Erga proximum:* An Superiores Christi Domini loco, interna reverentia, et obedientia sis prosecutus? An erga alios mutuam charitatem et honorem observaveris —familiaritatem vitaveris?

3. *Erga te ipsum :* An angelicam puritatem imitatus sis in oculorum custodia—ciborum temperantia? An passiones tuas et inordinatos affectus refrenaveris, et corpus tuum castigaveris?

Expende, quam diligentiam adhibueris in quotidianis actionibus : an juxta ordinem diurnum illico mane surrexeris, mentemque ad Deum, et orationem converteris, meditationem, servatis additionibus, fructuose peregeris? An Missæ Sacrificium debita præparatione et reverentia obtuleris vel audiveris?

An in studiis, sive aliis injuncti Officii operibus, animi puritatem rectamque intentionem habere conatus sis, ac serio atque constanter animum ad ea applicaveris et integre perfeceris?

An tempus aliquod piæ lectioni tribueris?—An examine conscientiæ juxta rationem a S. Ignatio traditam rite utaris? An post præcipuas actiones teipsum collegeris et examinaveris?

His peractis, ubi te profecisse animadverteris, ulterius contendere statue, memor, in virtute non progredi, esse retrogredi.—Ubi vero te defecisse deprehenderis, firmiter propone, efficax afferre vulneri remedium.

In *Colloquio* invoca B. Virginem Mariam et sanctos Patronos ; et simul cum eis ferventissimas age gratias SS. Trinitati pro acceptis beneficiis. Offer illi tua proposita, et pete ardentissime, ut tibi sequenti mense novas gratias impertire benignissime velit.

TRES MODI ORANDI.

(*Ex Libro Exercit. S. Ignatii.*)

Primus modus versatur circa decem *præcepta Decalogi*, circa *peccata mortalia*, tres *potentias animæ* et quinque *sensus corporis*. Non tam habet orationis formam, quam exercitii cujusdam spiritualis, per quod et anima juvatur, et oratio redditur Deo acceptior.

1. Quiescat paululum spiritus ; tum sedens vel ambulans pensitabo apud me, quo mihi accendendum, vel quid faciendum sit.

Dein fiat oratio quædam præparatoria, petendo gratiam, ut detur agnoscere in quo defecerim circa decem præcepta, ad emendandum me, ut ad Dei gloriam, animæque meæ salutem exactius ea servem.

Tum mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens (spatio, quo oratio dominica percurritur), quomodo illud servaverim, aut violaverim. Veniam precabor, et dicam semel : Pater noster.

2. Similem orationis modum prosequar circa 7 peccata mortalia, præmittendo orationem præparatoriam ; solum mutando, quod materia hic sit de peccatis, quæ evitanda sunt ; prius fuerit de præceptis, quæ sunt servanda. Hac exercitatione laborandum est unicuique, ut virtutes, hisce peccatis oppositas, acquirat.

3. Circa tres potentias animæ idem sequitur progressus per additionem (sicut N. 1. supra dictum est), orationem et discussionem singularum cum colloquio ad finem, faciendus.

4. Circa quinque sensus corporis ; nulla re mutata præter materiam. Ubi subnotandum est, quod

Si quis optet, in sensuum suorum usu Christum imitari, commendet se in oratione præparatoria suæ divinæ Majestati ; qui vero in usu sensuum suorum imitari cupit B. Virginem

Dominam nostram, in oratione præparatoria se commendet illi, ut sibi obtineat gratiam a Filio suo Domino nostro, ad hoc ipsum.—Post consideratum unumquemque sensum dicitur PATER NOSTER vel AVE MARIA.

Secundus modus orandi fit contemplando significationem singularum vocum orationis quam ita persequi volumus: ut Orationem Dominicam a prima voce recitemus, quæ est, Pater, et in ea consistamus, quamdiu circa eam variæ nobis significationes, similitudines, spirituales gustus, et aliæ consolationes incident: et ita deinceps per singula ejusdem vel alterius orationis cujusvis verba facere poterimus.

Quod si orantibus hoc modo nobis, in una voce vel duabus meditatio et interna delectatio affluat, non curandum erit progredi ulterius, etiamsi terminetnr hora; qua elapsa, reliquum orationis more solito recitabitur.

Discussa hoc modo Oratione Dominica, succedet Salutatio Angelica, vel alia qualiscumque oratio; qua finita, personam illam ad quam directa erat oratio, virtutem aliquam aut gratiam rogabimus.

Tertius modus orandi fit per quamdam vocum mensuram: ut nimirum ad quamlibet respirationem una solum vox orationis dominicæ vel alterius proferatur; expensa interim mentaliter vel significatione prolatæ vocis, vel personæ, ad quam oratio dirigitur, dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel utriusque postremo differentia. Eodem modo procedendum in verbis reliquis ejusdem orationis. Quæ dein terminabitur dicendo: AVE MARIA—CREDO—ANIMA CHRISTI.

Finita juxta hunc orandi modum Oratione Dominica, sumatur aliis diebus vel horis Angelica Salutatio, simili respirationum intervallo tractanda, cum aliis orationibus usitato more recitandis.

Qui ad hunc precandi modum plus temporis voluerit impendere, poterit omnes supradictas orationes, vel partem illa-

rum ad eum modum applicare ; eumdem ordinem seu paria interstitia anhelituum ac vocum, prout declaratum est, observando.

REGULÆ AD SPIRITUS DIGNOSCENDOS.

(*Collectæ ex Libello Exercit. S. Ignatii.*)

1. Pro comperto ponitur, triplex esse in homine cogitationum genus, unum ex proprio ipsius hominis surgens motu ; reliqua duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet, vel mali spiritus suggestione.—Solent autem tum bonus spiritus tum malus in animam agere conformiter ad ejus dispositionem : scilicet, si hæc dispositio sit spiritui contraria, modo quodam aspero et molesto ; sin similis, leniter et amice ; bonus tamen spiritus semper ad finem bonum, malus ad malum finem.

2. Hinc eos, qui a peccato lethali ruunt in peccatum, inimicus noster studet communiter, objectis apparentibus deliciis, confirmare in malo ;—bonus vero spiritus, conscientiam pungendo, a peccato deterrere. E contrario illos, qui intense procedunt in Dei servitio, malus spiritus omni modo satagit turbare, tristes efficere et inquietare—dum bonus spiritus animum illis addit, et sublatis obstaculis, consolari, tranquillosque reddere conatur.

3. Est autem *Consolatio* (*Spiritualis*) : sive inflammatio quædam animæ ad amorem Dei ; sive ad lacrymas commotio de rebus ad Dei servitium laudemque ordinatis ; sive omne spei, fidei et charitatis augmentum, omnisque lætitia, animam trahens ad res cœlestes ac studium salutis.—*Desolatio* autem est quævis animæ obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas seu terrenas ; omnis denique inquietudo vel tentatio, qua se anima reperit totam pigram, tepidam, tristem, et veluti separatam a Creatore ac Domino Deo suo.

4. In desolatione porro numquam est mutatio in propositis facienda ; sed firmiter perseverandum in consiliis prioribus ;

insistendum autem magis orationi, meditationi, discussioni sui et pœnitentiæ. Considerandum quoque est, nos relinqui interim a Deo, probationis causa, nobisque semper præsto esse eam gratiam, quæ sufficiat ad Salutem : atque ideo minime recedendum a patientia, quæ vexationibus hujusmodi opponitur, et a spe adfuturæ brevi consolationis.

5. Tres enim sunt potissimæ desolationis causæ : prima, negligentia in exercitiis nostris spiritualibus. Secunda ex parte Dei probatio, quantum jam profecerimus. Tertia, ut intime sentiamus, consolationem donum esse Dei, atque ut ita vel a minima superbia vel vana gloria arceamur.

6. Ideo consolationis tempore, cogitemus quomodo nos habituri simus in desolatione, sumendo novas vires pro illo tempore : ac procuremus, eodem modo nos humiliare, nostram reputando imbecillitatem, quo nos erigere debemus in desolatione, cogitando, nos cum gratia omnipotentis Dei omnia posse.

7. Est namque inimicus noster ad instar feminæ, debilis quoad vires et fortis tantum per voluntatem et malitiam. Quare os impavidum ejus tentationibus opponendum, et faciendum contrarium ei, quod ipse prætendit. Est etiam velut falsus amator, cui displicet summopere, si ejus suasiones detegantur ; ac propterea ejus fraudes et malitiæ aperiendæ sunt bono confessario vel alteri personæ spirituali.—Denique est veluti latronum dux, qui arcem mentis nostræ expugnaturus, circumiens explorat omni ex parte virtutes nostras omnes ; qua igitur in parte debiliores sumus (id quod ex ipsis tentationibus cernitur), in eis nos tanto magis confirmemus ac roboremus oportet.

8. Quum autem interdum inimicus noster callidius procedat, et specie boni fallere incautos conetur, advertendum est : veram consolationem dare, proprium esse Dei et Angelorum ; solius etiam Dei esse, sine causa præcedente, id est, sine ullo prævio sensu vel cognitione alicujus objecti, ex quo illa talis consolatio adveniat, animam intrare, eamque trahere ad amorem suæ divinæ Majestatis.

Cum causa autem præcedente, potest consolari animam æque Angelus bonus ac malus ; ad fines tamen contrarios : bonus Angelus ad profectum animæ, ut crescat et ascendat de bono ad melius ; malus Angelus ut trahat ad malitiam.

EXERCITIA SPIRITUALIA

Sancti Patris Ignatii

IN SOLITUDINE OCTO DIERUM.

DIES I. MEDITATIO I.—Fundamentum.

Finis Hominis.

Servi facti Deo habetis fructum vestrum in Sanctificationem ; finem vero vitam æternam.—*Ad Rom. vi.*

Deus omnipotens creans mundum, haud alium finem se dignum, sibi præfigere potuit, quam *Se ipsum*, gloriam suam externam ; ut nimirum "Cœli enarrent Gloriam Dei, et firmamentum annuntiet opera manuum ejus." (Ps. xviii.)

"Universa propter semetipsum operatus est Dominus." (Prov. xvi.)

"Ego primus et novissimus, omnem, qui invocat nomen meum, *in gloriam meam* creavi illum," (ait Dominus, Is. xliii.)

Hoc verbo Dei nixus S. Ignatius qua *principium et fundamentum* sacrorum Exercitiorum veritatem enuntiat : "*Creatus est homo ad hunc finem, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat eique serviat, et per hæc salvet animam suam.*"

I. Deum laudare—ei reverentiam exhibere, eique servire.

II. Per hæc (hæc agendo) animam suam salvare.

Iste est finis hominis—*finis proximus* et *ultimus ; Sanctificatio* ejus in vita : *Vita beata* pro æternitate.

Considero Deum ut præsentem et me respicientem ; tum *Orationem præparatoriam* devote recito. (p. 19.)

PRÆLUDIUM I. Visu mentis meæ Creatorem Deum mihi repræsento, quomodo de limo terræ hominem efformet, et in faciem ejus spiraculum vitæ inspiret. (Gen. ii.)

PRÆLUDIUM II. Devota oratione Deum suppliciter precor : Domine ! notum mihi fac finem, ob quem creasti me, ut sciam, quid adhuc mihi desit ad vitam æternam.

PUNCT. I.—*Finis Proximus.*

"*Creatus est homo.*" Ego, qui hæc meditor creatus sum. . . . . ante annos 40—90 eram adhuc purum *nihilum.*

Quis creavit? Deus creavit hominem: "Ipse fecit nos; non ipsi nos." Opus sum manuum Dei. . . . Antequam eram, Deus de me cogitavit: "Charitate perpetua me dilexit." (Is. xxxi.)

Quomodo creavit? Deus creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam.—Animam immortalem cum memoria—intellectu—et libera voluntate impertivit mihi Dominus!

Quanta benignitas Creatoris! Quæ dignitas hominis!

Ad quem finem creavit Deus hominem? "Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Ergo *propter Deum creatus* est homo, eo fine, ut Creatorem suum honoret, glorificet. In honorem meum, ait Dominus, formavi eum, feci eum."

Propterea benedic anima mea Dominum! Quid retribuam Domino?

Jam, quia universa propter Deum; Intellectus perspicit, summe justum et decens esse, ut homo Deum glorificet: ut *Deum suum laudet, eum revereatur*, et *ei serviat!*

1. Creatus est homo, ut *Deum suum laudet:*—Quid homini gloriosius contingere potest? Homo corona creationis super terram, intellectu præditus, et capax dilectionis, gaudet de immensa perfectione sui Creatoris et recolit grandia ab eo accepta beneficia.

Inde cor hominis *ad laudem Dei sui* continuo excitatur. Creatorem suum magnificat, quia fecit ei magna qui potens est: Semper laus Domini versatur in ore ejus.

2. Creatus est homo, ut *Deum suum revereatur.* Cognoscit homo Deum, qui est Rex regum et Dominus dominantium, cui soli honor et gloria; quid magis dignum et justum, quam ut homo infinitæ huic Majestati tributum honoris solvat!

Ut nimirum homo Deum suum adoret interne et externe ; se, suaque omnia, tanquam sacrificium læto corde Deo offerat ; Dei sui, ubique præsentis, memoriam frequenter recolat ; pro paterna ejus Providentia grates dignas rependat, et cum filiali fiducia in sinum Dei amantissimum se collocet.

3. Creatus est homo *ut Deo suo serviat :* Deus omnium rerum Supremus Dominus formavit hominem ; homo totus quantus ad Deum pertinet : Servus Dei est juxta Creationem ; quantopere necesse est, ut homo Deo suo serviat !

Scilicet ; Deo servire est : In omni re, semper et ubique id facere, quod Deus vult ; ita agere, quomodo et quia Deus vult.

Deo servire includit impletionem omnium officiorum ; usum talentorum, exactam omnium mandatorum impletionem.

Quanto magis triplex hoc officium : Laudis, reverentiæ atque obsequii erga Deum, decet Sacerdotem et virum Religiosum !

Inde *affectus voluntatis* in *admirationem*, *venerationem*, *laudem* et *gratitudinem*. — Cum firmo proposito profiteamur :

" Venite exultemus Domino ; jubilemus Deo salutari nostro : procidamus ante faciem ejus ; quia ipse est Dominus Deus noster ; nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus."

Punct. II.—*Finis Ultimus.*

Fructum nostrum habemus in vita ; ut Deum laudando, reverendo, eique serviendo *nos sanctificemus : finem* autem *vitam æternam.*

Pro vita æterna in gloria Patris creati sumus : Cœlum est Patria nostra ; ad illam peregrinamur, ubi mansio nostra æterna erit. Jam, sicut viator ad metam sui itineris omni conatu atque constantia pedes dirigit ; ita oportet, nos totis viribus et stabili perseverantia ad finem tendamus, ad quem conditi sumus.

Potuisset Deus, cum sit absolutus rerum omnium Domi-

nus, absque ulla mercede omne servitium a nobis juste exigere; sed infinita bonitas illius tale ac tantum præmium nobis spopondit, ut ipse futurus sit *merces nostra magna nimis.*

Hoc præmium, hanc vitam æternam, oportet continuo mente volvamus, illam desideremus, atque noscamus in quo consistat.

Vita æterna in possessione Dei, amoris nostri perpetui, sita est: "Intrabimus in gaudium Domini Dei nostri: Videbimus Deum sicuti est de facie ad faciem." Sicut gaudium et beatudo Dei perfectissima est et æterna; tale erit gaudium Beatorum in gloria cœlesti; perfectissimum et æternum.

O Domine! quando veniam et apparebo ante faciem tuam! *Fructum inde capturus*, examino me et exploro: An et mihi continget intrare in gaudium Domini Dei mei? An videbo Deum in gloria sua; et charitate perpetua possidebo?

Serio *quæram ex me:* An laudavi Deum in vita mea? an dignum servitium illi exhibui, digne ambulando? Quid mihi restat imposterum præstandum? *Quid faciam?*

Audio pœnitentem Augustinum, quam amare annos defleat, quibus Deum, pulchritudinem semper novam et antiquam non amavit.

Non amavi, inquit *in adolescentia mea* . . . . non *in juventute mea*, ubi passiones meæ continuo crescebant. Tandem circa annum ætatis meæ trigesimum, post pium colloquium cum amico meo Alipio lacrymæ, sicut imber, eruperunt ex oculis meis. Tunc dixi: "Dirupisti Domine vincula mea."

Et *ego, qui hæc meditor*, nonne simili modo oportet ingemiscam: pro eo *ut laudarem*, memor Creatoris mei in diebus juventutis meæ . . . . pro eo *ut diligerem*, et dignum *servitium exhiberem* Domino Deo meo, nonne fors odium reddidi pro dilectione?

At nunc Domine! dirupisti vincula mea! firmiter nunc statuo: ut repleatur os meum laude; ut tibi Domine in posterum fideliter serviam.

PATER.—AVE.—ANIMA CHRISTI.

Lectio ex Thoma Kemp. Libri iii. c. 9.

DIES I. MEDITATIO II.—Fundamentum.

Finis Cæterarum Creaturarum Super Terram.

Meditati sumus finem ad quem Deus hominem creavit;—Dignitatem nostram, ac Summam officiorum nostrorum erga Creatorem; illud *unum Necessarium* cognovimus; ut nimirum homo Dominum *Deum suum laudet, eum revereatur eique serviat;* ac ita *animam suam salvet—vitam æternam obtineat.*

S. Ignatius in suo fundamento prosequitur, dicens: "Reliqua omnia supra terram sita, *hominis ipsius causa* creata sunt, ut *eum ad finem creationis suæ* consequendum *juvent*"—seu tanquam media ad illum finem ei deserviant.

Finem *cæterarum creaturarum* modo meditabimur.
Oratio præparatoria eadem. (*ut supra.*)

Præludium I. Iterum omnipotentem Creatorem nobis imaginemur, qui unico verbo *fiat*, cuncta ex nihilo efformat.

Præludium II. Lumen a Deo humiliter poscimus, ut scopum Creatoris et finem cognoscamus ad quem cætera cuncta creavit.

Punct. I.

"Reliqua super terram sita hominis ipsius causa creata sunt, ut eum tanquam media ad finem suum (proximum et ultimum) consequendum juvent"—seu deserviant illi.

Veritas hæc ex revelata historia, quomodo Deus cuncta super terram et hominem creaverit, manifesta apparet:

Narrat sacra Scriptura, Deum creasse cœlum et terram, spiritualem et corpoream naturam;—quæ corporea elementa dein successive perfecit; et terram velut aptam habitationem præparavit. . . . Tum denique, qua complementum et coronam creationis, *creavit Deus hominem.* Ad imaginem suam creavit illum in gratia et veritate, in sanctitate et justitia; et constituit eum super opera manuum suarum ut præsit etc. (Gen. i. 26.)

Itaque cuncta super terram *propter hominem* creata sunt. Nonne justum est, ut cor hominis pro tanto beneficio in laudem Dei Creatoris sui erumpat—eique gratus serviat?

Addit S. Ignatius: "Ut eum ad finem suæ creationis juvent:" Nimirum, ut homo rebus creatis tanquam mediis

utatur ad *Dei laudem* ejusque servitium, et ad *vitam æternam consequendam.*

Hæc fundamentalis assertio: unice licere rebus creatis uti tanquam *mediis ad finem*, non propter *solam delectationem*, utinam animis hominum profunde insculpta maneret!

Quomodo autem res a Deo creatæ hominem tanquam media juvant, eique deserviunt ad finem suum consequendum?

1. *Edocent hominem*, Deum Creatorem, ejusque infinitas perfectiones cognoscere. Sicut ait Apostolus: "Invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur." Res creatæ testimonium perhibent de infinita *Dei potentia*, qui eas ex nihilo procreavit—de *bonitate* ejus, *justitia* atque *sapientia*, qui tam provide cuncta gubernat et ad finem dirigit. . . . Docent itaque hominem bene noscere Creatorem, ejusque opera admirari. . . . Impellunt hominem *ad laudem* sui Creatoris, ac *venerationem ejus*, et *ad dignum ei servitium* exhibendum.

Utinam instinctus ille, in omnibus rebus Deum Creatorem inquirendi; ejus manum, sive in prosperis sive in adversis, agnoscendi, continuo reviviscat, ut ex rebus creatis cor hominis ad ipsum Creatorem se solerter erigat!

2. *Suo exemplo* res creatæ hominem ad finem consequendum juvant; unde *homo edisca*t, quali modo oporteat ut suo Creatori serviat: "Vade ad formicam piger et disce sapientiam."

Consideret homo, quomodo cunctæ res creatæ, quælibet modo sibi proprio, voluntatem Creatoris *cum exactitudine et constantia*, ut ad finem suum tendant, adimpleant.

Hanc sui Creatoris voluntatem, ut refert sacra Scriptura, *alacriter adimplent*: "Vocatæ sunt stellæ, et dixerunt adsumus; dederunt lumen suum et lætatæ sunt; et luxerunt ei cum *jucunditate*, qui fecit illas." Nonne hoc exemplum *fidelitatis* et *alacris obedientiæ* erga Creatorem ad simile et majus obsequium hominem excitare deberet?

3. *Etiam usu suo*, res creatæ hominem ad finem suum consequendum juvant: *Multiplicem utilitatem* ad vitam gerendam—eam conservandam—alleviandam, pariunt. Imo etiam *honestam jucunditatem* homini suppeditant; unde ad laudem Creatoris et lætum obsequium homo continuo provocatur. Quin etiam illæ res, quæ homini noxiæ et contrariæ

videntur, ad *humilitatem* et *patientiam* exercendam et pro defectibus *satisfaciendum*, illi proficiunt.

Inde Affectus *gratitudinis*, *admirationis*, *doloris*, etc. Benedicite omnia opera Domini Domino! Laudabo Dominum in vita mea, qui tot et tanta media ad finem meum adeo liberaliter mihi dedit; dolebo si quando ad vanitatem illis usus sum.

Punct. II.

"Unde sequitur," ait S. Ignatius, "homini in *tantum* utendum illis esse, in *quantum* ipsum juvent ad finem suum; et tantum debere se ab illis retrahere, quantum ipsum impediunt ad finem consequendum."

Itaque in usu vel non usu creaturarum quæstio illa in mente hominis continuo versari deberet: Quid hoc ad *gloriam Dei* et *æternitatem meam?* An negotium hoc, hæc electio, quam volo suscipere, ad Dei servitium et salutem meam mihi deserviet? "Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratus fuerit, animæ vero suæ detrimentum patiatur."

Quod si sana conscientia dictet, ad hunc finem prodesse, tunc utendum; secus abstinendum ab illis erit.

Atque *in ea mensura* tantum utendum, qua mensura ad finem prodesse potest. Illud divinus Salvator inculcat dicens: "Si oculus tuus, vel pes tuus scandalizat te, erue, projice abs te; melius enim tibi est, cum uno oculo v. una manu etc.

O Domine notum mihi fac finem meum, et media sciam, quibus utar, ut noscam, quid adhuc mihi desit.

Punct. III.

Pro conclusione meditationis commendat S. Ignatius sanctam et necessariam *Indifferentiam* erga res creatas; (quoad concessum est libertati nostræ, et non prohibitum) "adeo, ait, ut non velimus ex parte nostra *magis sanitatem* quam *infirmitatem* — *magis divitias* quam *paupertatem;* magis *honorem* quam *ignominiam*—magis *vitam longam* quam *brevem;* et consequenter in cæteris omnibus. Ut unice desideremus et eligamus ea, quæ *magis nobis ad finem conducunt*, ob quem a Deo creati sumus."

Hanc *indifferentiam animi* exigit a me supremum Dei dominium in me et res omnes. Finis meus est: Deo servire, sanctam ejus voluntatem facere; id eligam oportet, *quod Deus vult*, non *quod ego velim*.

Idem exigit a me Dei erga me providentia, quæ cuncta in bonum convertit iis, qui Deum diligunt. Ergo oportet *sim indifferens* in cunctis, quæ mihi eveniunt, meque totum divinæ dispositioni committam.

Res omnes, quatenus homini tanquam media ad finem serviunt, *æqualiter* ad hunc finem *aptæ sunt:* huic deservit paupertas, alteri divitiæ – huic longa, alteri brevis vita – huic sanitas, alteri infirmitas—huic honores, alteri contumeliæ.

Quod si mihi daretur eligere: An, ad finem meum respiciens, aliter respondere possem: Domine tu solus nosti; quid mihi prosit et conveniat, ego ignoro. Propterea guberna sicut scis et vis; nam scio quod amator sis.—Suscipe Domine universam libertatem meam.

PATER—AVE.

Thomas a Kempis iii. 17.

DIES I. MEDITATIO III.

Finis Hominis Religiosi vel Sacerdotis.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.—*Joan. xv.* 16.

Rite perspecto fine creationis nostræ et cæterarum Creaturarum, quæ tanquam *media ad finem* hominem juvant; nunc in particulari finem electionis nostræ ad sanctum Sacerdotium vel Religionem meditemur.

Perfectiori modo *Deum laudare*, *venerari* eique *servire*;—in altiori gradu *salvum fieri*, est finis Sacerdotis et Religiosi.—Meditamur:

I. Grande beneficium electionis nostræ.
II. Finis ob quem nos Dominus gratiose elegit.
III. Merces magna nimis seu fructus qui maneat.

PRÆLUDIUM I. Præsentes adsimus in Cœnaculo, ut velut ex ore Jesu Christi verba audiamus, quæ Discipulis valedicens, protulit: *Ego elegi vos.*

Præludium II. Humilis oratio, ut beneficium magnum tantæ electionis agnoscamus, et gratiam consequamur, fideliter ambulandi juxta sanctam vocationem nostram.

Punct. I.

Dignitatem et grande beneficium hujus electionis nostræ perpendimus ·

1. *Quis elegit?* Deus est, qui elegit nos: *Ego vos elegi:* Ille beatus et solus potens; Rex regum et Dominus dominantium, qui nullius indiget. . . . Ille me vocavit in Sanctuarium suum, ut inhabitem in Domo Domini Dei mei omnibus diebus.

Rex ille magnus et potens me humilem respexit; inter mille alios, me longe digniores, elegit me. . . . . Aliquos sibi elegit apostolos; alios evangelistas; alios doctores et pastores in opus Evangelii —me elegit sibi in socium.

Quanta dignitas! quam grande beneficium talis electionis! O sacer status religiosi (sacerdotalis) famulatus, qui hominem Angelis æqualem, Deo placabilem, dæmonibus terribilem, fidelibus reddit commendabilem.

2. *Quis ego*, quem Dominus elegit?—Saul ad Samuelem, dum hic Dei jussu illum ungebat in regem, admirans aiebat: Numquid non ego filius Jemini sum ex minima Tribu in Israel, quare hoc verbum ad me locutus es?

O si nos unice ob humilem progeniem nos tantæ electionis indignos existimare deberemus! Sed nonne, memores dierum juventutis et ignorantiæ nostræ, cum Augustino ingemiscamus oportet: Tantillus puer et tantus peccator! *Sero te amavi!*

Aut fors prævidit Dominus zelum meum pro gloria sua? Profecto novit Dominus quæ ventura sunt; Sed nonne potius prævidit ingratitudinem meam—teporem in suo servitio, peccata mea? Et tamen me adeo indignum respexit et elegit Dominus, ut me collocet inter principes populi sui!

Quantopere gratus sim oportet pro tanta vocatione?—quem dolorem concipiam, si minus digne ambulaverim?—quid imposterum faciam. . . . Quomodo retribuam Domino?

PUNCT. II.

Quo fine elegit me Dominus?

"Ego vos elegi *ut eatis* et *fructum afferatis.*"

Minime elegit nos Dominus, ut de temporalibus nobis provisum sit; non elegit, ut mollem vitam agamus. "Dominus pars hæreditatis meæ." Non, ut in honore simus apud homines. "Mundus vos odio habebit."

a) Sed elegit nos Dominus, *ut eamus*, ut de virtute in virtutem progrediamur: "Qui sanctus est, sanctificetur adhuc."

Elegit nos Dominus, ut *fiamus conformes imaginis* Filii sui; —ut abnegantes nos ipsos, feramus crucem in humilitate et mansuetudine.

Oportet, quilibet seipsum frequenter examinet: Quomodo progredior in via vocationis meæ? Quos passus hucusque feci? Qualis zelus meus in orando et laborando pro Gloria Dei? Quæ puritas intentionis et conscientiæ? Quam exacte adimpleo officia Status mei, et Regulas vocationis meæ?

b) Elegit nos Dominus, *ut fructum afferamus:*

Non fiat nobis, quod infructuosæ ficulneæ: "Videns Dominus in ea tantum folia, jussit eradicari, ut in ignem mittatur."

Fructus, quem qua Religiosi feramus oportet, potissimum in adimpletione Votorum consistit, quibus vovimus, Jesum sequi in paupertate, castitate, obedientia; ut abnegantes nos ipsos, crucem post ipsum feramus, ejusque Veste induamur.

Fructus noster, qui in Sacerdotio Deo consecrati sumus, in eo consistit; ut sanctificemus nos ipsos, atque ad aliorum Sanctificationem cooperemur: ut in Psalmis Deo serviamus: —Et ut lux nostra luceat coram hominibus; ut videant opera nostra bona, et glorificent Patrem, qui in cœlis est.

Sacerdos Deo consecratus est, ut *offerat dona et sacrificia* pro peccatis: fructum in eo habet, ut personam gerens Jesu Christi, Deo Patri sacrificium laudis et pro peccatis satisfactorium digne offerat, novasque gratias pro se et aliis imploret.

Sacerdos constitutus est *Judex conscientiarum:* fructum in eo habet, ut peccatores convertat ad pœnitentiam; vincula peccatorum solvat; et portam cœli pœnitentibus aperiat.

Sacerdos *mediator est inter Deum et homines:* fructum in eo habet, ut convertat corda filiorum ad Patrem. *Dispensa-*

tor est Mysteriorum Dei : fructum habet, ut Sacramenta, fontes gratiarum, digne et fideliter administret.

Sacerdos *Verbo et exemplo* fideles ei commissos, *instruere*, et qua pastor animarum, *pascere debet.* Fructum in eo habet, ut lux ejus coram populo luceat ;—Ut sit fidelibus in exemplum in omni castitate et doctrina : "illuminare his, qui in tenebris sunt : parare Domino plebem perfectam."

Vere grandis dignitas Sacerdotis, grande Ministerium ! sed etiam grandis ruina si peccat !

Culpa rubet vultus meus eo quod agnoscam, me minus digne tanta vocatione ambulasse . . . . Doleo . . . . seriam emendationem statuo.

PUNCT. III.

Elegit nos Dominus ut *fructus noster maneat.*

Filii hujus sæculi fructum ferunt in sudore vultus sui ; in curis et ærumnis adhærent concupiscentiæ oculorum et carnis, atque superbiæ vitæ. Tandem amara mors ab omnibus separat ; nullum fructum tales ferunt pro æternitate.

Fructus noster, si digne ambulaverimus vocatione, qua adeo gratiose a Deo vocati sumus, *manet in æternum.*

"Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis."

Centuplum jam in hac vita erit fructus noster : haud equidem in rebus terrenis, quas arbitramur ut stercora. Fructus spiritualis est, qui exsuperat omnem sensum. Nimirum :

Pax super illos et *misericordia Dei.—Quies animi et gaudium*, qui in tribulatione superabundant. *Gustus rerum* spiritualium et *desiderium cœlestium.—Securitas* et *unio* arctissima *cum Jesu in Sacramento amoris.*

Insuper fructus manet in æternum : "*Vitam æternam possidebitis*" ibi fulgebunt justi tanquam stellæ in perpetuas æternitates. "Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi, Dominus justus Judex."

Affectus *admirationis . . . . gratitudinis . . . . gaudii.* Quis sum ego Domine, quem adeo gratiose elegisti ?

Examinabo conscientiam meam et inspiciam, quales ego

fructus juxta Vocationem meam hucusque tulerim: Inde *dolor . . . . fiducia . . . . gratiarum actio . . . . propositum.*

Colloquium cum *B. Matre Virgine;* ipsa apud Filium gratiam mihi velit implorare, ut imposterum digne tali vocatione ambulem.—Ave Maria.

Cum Jesu, ut, qui me elegit, in hac gratia confirmet.—Anima Christi.

Cum Patre cœlesti, ut clementer exaudiat.

Pater Noster.

Thomas a Kempis iii. 10.

DIES II. MEDITATIO I.

MALITIA PECCATI.

Creatus est home, ut Dominum Deum suum *laudet*, *revereatur*, eique *serviat*, et per hæc *animam suam salvam faciat;* ad quem finem omnes res creatæ super terram eum juvant.—Nihil est, quod a Charitate Dei nos separare possit. . . . Unicum malum, quod hominem a suo fine retrahit, *est peccatum.*

In hac Meditatione (*de triplici peccato*), ex pœna, quam Deus inflixit, cognoscimus *horrendam malitiam* peccati;—unde animus noster *pudore—horrore peccati* et *intima confusione* percellitur.

Ad hunc affectum in nobis producendum, erit:

Præludium I. Visu imaginationis videre animam meam in hoc corpore corruptibili tanquam in ergastulo inclusam, et ambo (me totum) inter bruta animalia, velut in exilium ejecta.

Hæc imago, quæ reipsa tristis sequela et pœna peccati est, vere apta est, quæ pudorem, intimam confusionem et horrorem omnis peccati in me excitet.

Præludium II. Humillime Deum rogabo pudorem et confusionem mei ipsius, cum videam, quam multi damnati fuerint ob unicum peccatum mortale, et quam sæpe ego meruerim damnari in æternum ob tam multa peccata mea.

PUNCT. I.

(*Exercit. Memoriæ.*) In primis *memoria nostra* originem peccati, qualiter ab *angelis apostatis* fuit commissum, nobis repræsentet:

Angeli in cœlesti paradiso probationem suæ fidelitatis exhibere tenebantur antequam æterna felicitate et gloria potirentur . . . . facti sunt reprobi—hinc a Deo e paradiso sunt dejecti! Ob peccatum commissum ad æterna supplicia condemnati sunt!

Quales erant illi, qui a facie Dei in æternum sunt projecti?

a) Meditor primævam *illam pulchritudinem* et eminentiam Angelorum, qui dicuntur Signaculum similitudinis Dei, pleni sapientia et perfecti decore;—sicut *donis naturæ*, ita *donis gratiæ* insignes, ante thronum Dei in perfecta amicitia cum Deo erant, certiores facti, se post brevem probationem in vitam æternam ingressuros.

b) Considero *horribilem lapsum eorum:* Lucifer cum suis asseclis tantis donis et gratiis abusi sunt; *peccaverunt;* propterea in ictu oculi de Cœlo ad infernum sunt præcipitati!

c) Perpendo *tristes peccati sequelas:* Obscuratus est omnis fulgor eorum: omnis decor, pulchritudo eorum et sapientia conversa sunt in dedecus et turpitudinem. "Quomodo cecidisti Lucifer!"

(*Exercit. Intell.*) Causam investigo tantæ dejectionis.

Finis creationis eorum erat: *laudare, revereri Deum*, eique juxta suum beneplacitum *servire*, ut ita in perpetuam *gloriam intrarent.* Ast illi sublimes spiritus præ splendore suo excæcati, et immemores, quod ex nihilo a Deo creati, omnia illa dona gratis acceperant, superbia sunt inflati: "ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo;" hæc erat cogitatio eorum. - Renuebant Deo servire; at potius independenter a Deo regnare volebant.

Rebelles facti contra Deum, peccaverunt. Est *peccatum superbiæ* . . . . *unicum* dumtaxat peccatum . . . . *primum* peccatum; *sola cogitatione* commissum.

At propter unicum hoc peccatum—nullo habito respectu ad eorum celsitudinem, ad pristinum decorem—ad magnam illorum multitudinem—in momento, quin locus pœnitentiæ

eis concederetur, tanquam fulgur de cœlo in profundum abyssi præcipitati sunt.

Quanta inde apparet peccati malitia et gravitas, quod Deus in se infinite bonus, qui charitate perpetua nos dilexit, illud adeo graviter detestetur, tam severe puniat!

(*Exercit. Volunt.*) Dum hæc mente volvo, et intellectu perpendo, quomodo *non erubescam*, et *intime confundar*, si in comparationem *unius peccati* Angelorum tam *multa et gravia mea peccata* ducam, et considerem: Cum illi ob unicum peccatum præcipitati sint ad infernum,—quam sæpe ego hoc idem meruerim, et quam *abominabilis coram Deo* factus sim, ob tam multa peccata mea! . . . Tremens factus sum ego et timeo!

Angelis suis non pepercit Deus! mihi pepercit oculus Domini!

PUNCT. II.

Pari modo tres animæ potentias applicabo circa peccatum *primorum parentum* in paradiso terrestri.

(*Excrc. Memor.*) *a*) Sacra historia narrat, quomodo primi parentes e manu Domini egressi, singularibus gratiæ et naturæ donis ornati fuerint:

In justitia et sanctitate conditi, proxime cum Deo conversabantur, qui eos erudiebat et paterne fovebat.

Quam felix et omnis perturbationis expers erat status eorum in primæva innocentia, collocati in terrestri paradiso, etiam quoad corpus, singulari Dei beneficio, immortales.

Præcipuus character illius status innocentiæ erat perfecta harmonia, qua appetitus sensualis ductui spiritus perfecte subordinatus; spiritus autem in humilitate et amore Deo, suo Creatori, erat subditus.

Eo fine a Deo creati, ut per rectum usum libertatis—laudando et reverendo Creatorem, eique serviendo, ad vitam æternam se præpararent;—Obedientiam suam in observatione unius mandati, ad observandum facilis—"ne de fructu unius arboris comedant"—probare tenebantur.

b) At vero insidiis tentatoris diaboli decepti, misere succubuerunt, et sanctam legem Dei sunt transgressi . . . . *peccaverunt.*

c) Sacra historia felicem hanc primorum Parentum naturam illico in deterius mutatam et perturbatam fuisse enarrat:

Justitia et Sanctitate orbati, familiari consuetudine cum Deo exciderunt . . . . a facie Dei se volunt abscondere.

Ex amœno paradiso expulsi, terram colunt in sudore vultus sui. . . . Harmonia sublata, sensualem appetitum rebellem adversus spiritum experiuntur. . . . Labor et dolor, ipsa mors subsecuta sunt; totamque posteritatem in easdem miserias induxerunt.

(*Intell.*) Ob unum peccatum inobedientiæ tanta mala in mundo;—quanta debet esse peccati malitia!

(*Voluntas.*) Si nunc mea peccata cum uno illo Adami peccato *inobedientiæ* comparem, quam justa mihi *causa pudoris* et timoris, ut confusio faciem meam tegat! Miserere mei Deus!

PUNCT. III.

Ut tanto profundius malitiam peccati penetremus, consideremus insuper, *multos ob unicum* commissum peccatum, quin etiam in *ipso actu peccati*, in infernum detrusos esse; atque *multos sine numero* in inferno æternum puniri, qui *minus quam ego* peccaverunt.

Vere tremenda veritas!—Attamen: "Justus es Domine et rectum jndicium tuum." Est enim peccatum *infinitæ malitiæ:*

Peccatum, qua *transgressio legis Dei*, est *contemptus legislatoris:* "projecerunt me post tergum suum." Est *offensa* immensæ *Majestatis Dei:* peccator *rebellis fit contra Dominum* Deum suum.

Et illi quidem sine misericordia a facie Dei juste projecti, in inferno pœnis æternis addicti sunt, unde nulla est redemptio.

Mihi misericors Deus hucusque pepercit, et locum indulgentiæ ostendit. "Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti!"

Colloquium faciam cum Jesu Christo, quem in Cruce pendentem intuebor. . . . Mirabor quomodo Dei Filius de cœlo descenderit, ut tollat peccata mundi, qui tot et tanta ex amore erga homines pati voluit!

Item *colloquium mecum ipso* instituam, excunctando, quid *ego vicissim ex amore* egerim et agere debeam. . . . Quanta mea confusio, quod pro amore odium reddiderim! . . plorans plorabo. . . .

ANIMA CHRISTI.

Thomas a Kempis i. 21.

DIES II. MEDITATIO II.

DE PECCATIS PERSONALIBUS.

Iniquitates meas ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.—*Ps. l.*

Originem peccati ex sacra historia ; malitiam autem et turpitudinem peccati ex horrendis pœnis et tristibus sequelis clare cognovimus.—Hæc de malitia peccati in se.

Nunc oportet consideremus peccatum *in nobis ipsis* qua propriam nostram malitiam ; ut inde nedum *pudorem* sed et *intensum dolorem* atque *lacrymas pœnitentiæ* in nobis excitemus.

Præludium I. Iterum sicut in præcedenti Meditatione animam nostram in hoc corruptibili corpore, velut in ergastulo inclusam, imaginemur, et ambo (me totum) inter bruta animantia in exilium ejecta.

Præludium II. Supplices Deum rogamus acerbissimum *cordis dolorem*, atque *lacrymas veræ pœnitentiæ*. Ut ad veram pœnitentiam Domine nos perducere digneris, Te rogamus audi nos !

Punct. I.

Ut ad hanc veram pœnitentiam, ad dolorem et intimam cordis contritionem de peccatis propriis perveniamus ; vult S. Ignatius ut coram Deo nobis præsente, qui olim futurus est judex noster, omnes et singulos annos nostræ peregrinationis percurramus : ut pacato animo cogitationes, verba et opera de anno in annum investigemus ; simul attendentes ad loca, quæ inhabitavimus ; ad personas, quibuscum conversati fuimus ; ad munera, quibus fungebamur.

a) Et quidem primo *annos adolescentiæ* in memoriam vocamus ; tempus illud, postquam ad usum rationis pervenimus.

Quæ fuit ea ætate mea agendi ratio erga parentes, magistros, fratres, sorores et alios, quibuscum familiariter agebam ?

Quomodo usus sum tempore ; et media ad profectum meum adhibui ? Quomodo custodivi *innocentiam meam ?*

Qualis erat mea præparatio ad primam confessionem et S. Communionem ? Nonne forsitan de hac ætate adolescentiæ meæ cum Augustino oportet ingemiscam : tantillus adhuc puer et tantus peccator ?

b) Ulterius ad *illud vitæ tempus* attendamus, quo jam plenus rationis usus ; quo passionum irritamenta vim suam exerunt : simul in memoriam vocantes personas, quibuscum conversabamur, loca et munera, in quibus eramus constituti.

Quam viam ea ætate tenui ? an largam quæ ad perniciem ? an arctam, quæ ducit ad vitam æternam ? An finem, ob quem a Deo creatus sum, ad laudem et servitium Dei ob oculos habui ?

Delicta juventutis meæ et ignorantias meas, Domine, ne memineris !

c) Denique illius temporis recordemur, quo *statum vitæ elegimus*. Quid ad hoc vitæ genus eligendum me movit et induxit ? An salutem meam, spiritualem profectum, et Dei gloriam præ oculis habui ?

Quæ et quantæ gratiæ mihi desuper datæ fuerunt . . . . An cum illis digne cooperatus fui ? Quomodo officia mihi injuncta, vota mea et regulas complevi ?

O Domine ! Quantas habeo inquitates ! Peccata et delicta mea ostende mihi. . . . Miserere mei Deus !

Punct. II.

Secundum est : peccata ipsa *ponderare :* considerabo fœditatem et malitiam, quam quodvis peccatum mortale habet in se, etiam si non esset prohibitum.—At simul in bilancem ponam *circumstantias*, quæ ipsa *mea peccata* multum aggravant :

Scilicet gravem *meam ingratitudinem* considerabo et turpitudinem agnoscam, quod ego, quem divina bonitas adeo benigne fovit, et tot beneficiis cumulavit, pro eo ut diligerem, tanta injuria Creatorem meum affeci—Majestatem divinam contempsi—rebellis contra Deum factus, ab illo defeci—dorsum illi verti !

Quod tot media et talenta, ad Dei servitium meamque salutem mihi a Deo data, in peccatum converti . . . . imovero, quod in Dei præsentia, cujus oculus omnia videt, malum facere non erubui.

Punct. III.

Peccatorum meorum malitia et fœditas magis adhuc cognoscitur, si rite ipsam *meam vilitatem* inspiciam : *Quis sim*

ego, qui coram oculis Domini malum feci? . . . Vile hoc *meum nihilum* melius cognoscam minuendo me ipsum per exempla:

1. Quis, quantus sim ego in comparatione omnium hominum.

2. Quid sint omnes homines in comparatione Angelorum et Sanctorum Paradisi?

3. Quid sint omnia creata: homines et Angeli in comparatione Dei? Jam *ego solus* quid esse possim? Quam villis esse debeam?

4. Considerabo omnem meam corruptionem animæ et fœditatem corporis.

5. Quasi ulcus quoddam et apostema me considerabo, unde tot peccata et nequitiæ pullularunt ac venenum turpissimum.

"Delicta mea pavesco, et ante Te Domine erubesco: "Culpa rubet vultus meus."

Punct. iv.

Eo plus adhuc ingravescet peccatum et intumescet contritio mea, si rite perpendam, *Quis sit Deus* contra quem peccavi: si nempe perfectiones Dei infinitas et singula ejus attributa perpendam, comparando illa cum oppositis meis imperfectionibus et vitiis; scilicet: Summam Dei *Sapientiam* cum mea ignorantia . . . . ejus *omnipotentiam* cum mea debilitate . . . . ejus *justitiam* cum mea iniquitate . . . . *ejus bonitatem* cum mea malitia.

Et ego, *adeo vilis*, illud *Ens perfectissimum*, summum illum amorem et bonitatem peccatis meis offendi . . . . odio habui!

"Obstupescite Cœli super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer."

Æternum Patrem, qui in honorem suum et laudem me creavit, qui adeo paterne de me curam gerit, contempsi!

Dei Filium, quem Pater ex amore mihi dedit; qui et ipse nos dilexit, et seipsum pro nobis tradidit . . . . offendi!

Spiritum Sanctum, qui sua gratia potestatem mihi dedit, filium Dei fieri, turpiter ex corde meo expuli!

Quantas habeo iniquitates! O Deus, miserere mei!

PUNCT. V.

In exclamationem prorumpam, et cum ingenti affectu *horroris*, *doloris* et *cordis contritionis* admirabor valde, quomodo creaturæ omnes (discursu facto per singulas) me adeo vilem peccatorem tamdiu sustinuerint . . . . et hucusque vitam agere passæ sint. . . .

Quomodo fuit possibile, ut Angeli, qui divinæ justitiæ gladium ferunt, me supportaverint et custodierint, et oraverint pro me!

Quomodo erat possibile ut Sancti Dei in Cœlis pro me adeo ingrato et rebelli contra Deum, intercesserint? Et B. Virgo Maria oculos misericordiæ suæ a me non penitus averterit?

Quomodo sol splendorem suum ante me non obscuravit, ne videret turpitudinem et iniquitates meas? Quomodo elementa et animalia terræ, loco ut mihi servirent, non armata contra me steterunt? Et terra, quomodo se non aperuit ut me absorberet, et novum infernum crearet, in quo in æternum cruciarer?

COLLOQUIUM.

At vero, ne miser peccator tanto pudore de peccatis confusus, et cordis dolore perculsus atque contritus, animo cadat, et spem veniæ abjiciat: commendat S. Ignatius, ut meditationem concludamus *Colloquio Misericordiæ*, ratiocinando et gratias agendo Deo Domino nostro, quod tanta longanimitate *me sustinuerit*,—me ad pœnitentiam *expectaverit*—tot internis inspirationibus *me invitaverit*—imo qua pastor bonus me *ovem perditam quæsierit*.

"Vere Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti!"

Misericordias Domini in æternum cantabo!

In te Domine sperabo; non confundar in æternum!

Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio!

Colloquium etiam instituam ad *Dominam meam* S. Mariam, ut illa apud Filium suum gratiam *detestationis* peccatorum meorum, et *veram pœnitentiam* cum firmisso *proposito* emendationis mihi velit impetrare.

AVE MARIA.—ANIMA CHRISTI.

Thomas a Kempis i. 22.

DIES II. MEDITATIO III.

MALITIA PECCATI IN SACERDOTE.

Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa !—*Jer. xi. 15.*

In binis Meditationibus ponderavimus gravitatem peccati : Malitiam *peccati in se ;* et *propriam nostram malitiam* si voluntarie peccatum grave committimus. Unde pudor et confusio, dolor et cordis contritio in animo nostro enata fuit.

In hac Meditatione turpitudinem et malitiam peccati intuemur si illud a *Sacerdote Deo consecrato* committitur.

Præludium I. Coram Deo nobis præsente constituti, verba Prophetæ Ezechielis nobis applicamus : "Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et decore." Et illa Isaiæ perpendamus : "*Quomodo cecidisti Lucifer ?*"

Præludium II. Lumen a Deo suppliciter petimus, ut istam malitiam et gravitatem peccati cognoscamus, ac horrore percellamur. . . .

Ut nos, O Jesu, ad pœnitentiam perducere digneris, Te rogamus audi nos.

Punct. I.

Quanta dignitas Sacerdotis.

Consideramus primo dignitatem Sacerdotis Deo consecrati, ut inde eluceat, quam gravis malitia et ruina ejus si peccat.

Omnis Sacerdos a Deo constitutus est, ut personam Jesu Christi gerens, *legatione pro eo fungatur*, tanquam adjutor Christi.

Officium Sacerdotis est, ut in nomine Jesu Christi dona et *Sacrificia offerat ;* Sacrificium novæ legis in satisfactionem pro peccatis ; hostiam laudis, et novarum gratiarum impetratoriam.

Sacerdos qua *judex super peccatores* constitutus est, ut eos a peccatorum vinculis solvat, Deo reconcilians ; vel indignos liget.

Sacerdos *Mediator est inter Deum et homines. Dispensator* est mysteriorum Dei ; ac donorum Dei *distributor.*

Sacerdos ordinatus est a Deo, ut *fidelem populum erudiat* et, tanquam propheta Altissimi, Domino paret plebem perfectam.

Divinorum omnium divinissimum est, cooperari Deo ad salutem animarum ait S. Dionysius. Adeo grandis dignitas est Sacerdotis!

Consideramus, quam proprie verba Ezechielis de Sacerdotibus novæ legis prædicari possint. (Ezech. xxviii. 12.)

"*Tu signaculum similitudinis Dei.*" De sacerdotibus in veritate dici potest: "Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine."

"*Plenus sapientia et perfectus decore.*" Labia Sacerdotis custodiunt sapientiam. Illi datum est noscere mysteria Dei.

"*In deliciis paradisi tu fuisti.*" Sacerdos ad altare Dei, in templo Domini jam prægustat delicias paradisis.

"*Tu Cherub extentus et protegens:* posui te in monte sancto Dei." Sacerdos sacra unctione Deo sacratus, ad instar Cherub est, qui corda fidelium sacro igne inflammet.

Talibus dotibus, atque sacris muneribus Sacerdos manet eo usque ornatus, *donec iniquitas in illo* inveniatur.

De illo sublimi spiritu ulterius legitur. (Isaiæ xiv.)

"*Quomodo de Cœlo cecidisti Lucifer?*"

Quomodo Sacerdos Domini, tot donis et gratiis ornatus de sublimi gradu Sacerdotii tam profunde cecidit? "Quomodo obscuratum est aurum optimum, et qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora!"

Confusionem, dolorem et *lacrymas* hæc verba in nobis excitare debent.

Punct. II.

Magna ruina Sacerdotis si peccat.

Qui plena conscientia, deliberata voluntate peccatum grave committit, *practice Deum negat;* quasi cum Pharaone diceret: "Quis est ille Dominus, cui ego serviam? Nescio illum."

Talis Sacerdos *super altare sui cordis idola erigit*, quibus thura adolet: Concupiscentiam oculorum et carnis, atque superbiam vitæ.

Summa ingratitudine tam copiosis *gratiis Dei, et mediis salutis abutitur:* Media illa in peccata convertit; pro eo ut diligeret Deum, odium in supremum benefactorem rependit!

Oblitus Dei Creatoris sui, *jugum Dei suave frangit:* vincula amoris rumpit.—Peccatum Sacerdotis *est rebellio adver-*

sus Dominum, qui de hac iniquitate dire per Prophetam conqueritur: "Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?"

Si quis ex plebeja Classe rebellis fit contra Principem suum est crimen læsæ Majestatis. . . . Si homo Christianus baptismale juramentum suum frangit, est perjurium. Sed quantum crimen est, si minister Regis, cui Rex decorem addidit, et grandia munera credidit, ipse rebellis fiat contra principem, et alios ad rebellionem inducat?

Sacerdos Dei in sancto tuo ministerio! Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, parare Domino plebem perfectam!

Inter omnes dignitates et munera culmen obtinet Sacerdotium, eo quod *Sacerdos vices agat Jesu Christi* in dispensatione mysteriorum Dei: Sacerdos Vicarius et Cooperator Christi est in sacro ministerio. Ipse Dominus elegit eum.

Hic autem *Sacer minister Christi* fit proditor sicut Judas; fit indignus ministrator in sanctissimo munere. Est velut Cherub in monte Dei positus, in quo inventa est iniquitas!

O Jesu miserere mei secundum magnam misericordiam tuam!

Punct. iii.

Malitia peccati Sacerdotis in suis sequelis.

Grandis ruina Sacerdotis si peccat. . . . Peccatum Sacerdotis quasi fons est, unde *pro ipso Sacerdote ingens damnum;— pro aliis scelera multa* scaturiunt.

a) Ingens damnum pro ipso Sacerdote: Nihil enim ipse in cunctis suis operibus pro salute propria lucratur: alios ad Cœlum ducit; ipse ad portas inferni consistit: alios quoad animam sanos facit: ipse mortali morbo animæ correptus, jacet supinus.

Alios in fide corroborat, in spe animat, in charitate inflammat. . . . Ipse quasi alter Cain fit profugus a facie Dei.

"Peccator cum in profundum venerit, contemnit." . . . *Excæcatio* est altera *sequela peccati.* Sacerdos coram populo speciem habet quasi vivat; apparet qua justus et tanquam Dei minister in honore habetur. Hoc splendore honoris excæcatur sacerdos, ut mortem animæ suæ non sentiat. . .

Induratio cordis inde ordinarie sequitur. In tristi illo statu

peccati, oporteret ut ad Ananiam Sacerdos properaret, in Sacramento pœnitentiæ sordes lavaret, et se Deo reconciliaret. . .

Sed vero ! indurato corde et excæcatus introit ad Altare Dei ! . . . Deum provocat ad judicandum ; *Judica me Deus!* In peccatis suscipit Sacramentum. . . . Aliis Sacramenta dispensat. . . . Vita ejus fit catena Sacrilegiorum : munus quo fungitur ad nova continuo Sacrilegia occasionem præbet ! . . Peccata *sine numero—sine mensura—Spiritui Sancto adversantia !*

Sacerdos coram populo esse debet *lucerna ardens*—lux mundi—*aurum purificatum*—"*Vos estis sal terræ.*" Sed eheu ! lux obscurata est, infatuatum est sal—aurum splendorem amisit : *Pastor factus est mercenarius :* imo *factus est lupus*, qui dispergit oves et mactat.

Oves oculos apertos habent ad mores sui pastoris : manifeste vident, quid pastor agat. . . . Quomodo sine pudore et timore peccet ; dicunt intra se : quare nobis id facere non licebit ?

Sed, et quantum *fidei detrimentum* inde solet oriri ! agnoscunt oves, quod agendi ratio et mores sui pastoris ab oris sui doctrina multum discrepat ; inde de fidei argumentis, quæ profert, dubitare incipiunt. Dicunt intra se : pastor noster, qui pro Christo legatione fungitur, ipse parum credit : opere ostendit, se pœnas inferni nihil timere. Quare nos magis quam ipse timebimus ?

"*Grex perditus*" factus est populus meus, *pastores eorum seduxerunt eos.*" (Is. 50, 6.) Plorans ploravi et lacrymæ in maxillis meis !

O Jesu, misere mei.—O Maria, refugium peccatorum, ora pro me !—Anima Christi.

Thomas a Kempis iii. 4.

DIES III. MEDITATIO I.

DE INFERNO.

Quis ex vobis habitabit cum ardoribus sempiternis? *Isaiæ xxxiii.*

Unicum malum, quod hominem a sublimi destinatione sua, quæ est vita æterna, avertere, et æternæ damnationis reum facere potest, *est peccatum.* Horribiles pœnas peccati in ardoribus sempiternis modo meditabimur.

Præludium I. erit: Visu imaginationis intueri longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni.

Præludium II Humiliter Deum rogabo intimum sensum pœnæ, quam patiuntur damnati; ut si quando amoris Dei fuero oblitus, saltem supplicii timor me a peccatis cœrceat.

I. *Quid est infernus?* Quæ sunt *damnatorum supplicia?*

II. Quæ *cogitationes damnatorum?* Quid vermis conscientiæ?

Punct. I.

Quid sit Infernus.

Spiritus Domini variis in locis revelat, quid sit infernus: *Carcerem* vocat *justitiæ divinæ*, "Clauduntur ibi in carcere." *Locum* appellat *tormentorum—Lacum iræ et vindictæ* Dei. *Stagnum ardens* igne et sulphure—*Locum caliginis*, ubi omnes vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti sunt - ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat.

Jesus Christus, qui judicaturus est vivos et mortuos, infernum *locum exilii in igne æterno* nominat, diabolo et iis paratum, qui a beatifica Visione Dei in perpetuum arcebuntur.—De illis effatur Spiritus sanctus in Apoc. "Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum."

Quæ damnatorum Supplicia.

Jesus Christus æterna veritas, cui Pater potestatem dedit judicium facere, quia filius hominis est, supplicia et pœnas, quibus damnati in inferno addicti erunt, claris illis verbis revelat, quibus sententiam damnationis pronuntiaturus est: "*discedite* a me *maledicti* in *ignem æternum.*" (Matth. xxv.)

Triplex Supplicii genus his verbis revelatur.

1. *Discedite a me*—est pœna damni, inter omnes gravissima ; qua damnati in perpetuum a facie Dei, a visione illa beatifica exclusi, et cœlesti gloria orbati erunt.

Quantus dolor, dum damnatus per omnem æternitatem vocem exprobrantem audiet : *Ubi est Deus tuus ?*

Ille charitate perpetua te dilexit : tibi vitam dedit, ut laudando eum, reverendo, eique serviendo salvus fias. Tot et tanta media salutis tibi dedit, quibus æternam salutem comparare potuisses. . . . Nunc *culpa tua eum perdidisti !*

Præ tot millibus te Dominus elegit fungi Sacerdotio : dinumeravit te inter familiares suos, ut inhabitares in domo Domini. . . . Nunc culpa tua eum perdidisti ! . . . *Ubi est Deus tuus ?*

2. *Discedite maledicti !* Aliud genus supplicii in inferno, quod damnati æterna maledictione Dei futuri sint onusti.

Quoadusque homo vivit, Deus illum sua gratia sustinet ; solatur illum in angustiis, sua providentia regit et adjuvat. Nunc autem tempus misericordiæ transiit ; venit maledictio super damnatum, qui a facie Dei projectus est. . . . Sanguis effusus Jesu Christi, altius quam Sanguis Abel, vindictam clamat et æternam maledictionem !

Etiam et tuus amor, Virgo beatissima Maria, Tuaque erga peccatores materna providentia tunc finem habent ; Illi tui misericordes oculi, illi sinus misericordiæ erunt clausi ! Et tu cum omnibus Sanctis cœlestibus judicium damnationis proferes : " *Discedite a me maledicti !*"

3. Tertium genus supplicii in inferno *est pœna sensus.* Discedite *in ignem æternum* -habitabunt in ardoribus sempiternis.

Verus ignis, etiamsi incomprehensibilis.—Cruciabuntur miris, sed veris modis—ait S. Augustinus.

Ignis, qui paratus est diabolo et angelis ejus.—Ignis qui corpus et animam pertransit.—Quo igne tanquam sale condientur (Marc. vii.) ut semper ardeant, numquam consumentur.

Igne sine ullo refrigerio, nec guttula aquæ : " *Crucior in hac flamma.*" Ignis qui non extinguitur, qui in æternum ardebit. " Discedite a me, maledicti, *in ignem æternum.*"

O æternitas ! . . . Infelix æternitas ! . . . Semper a facie Dei, a visione Dei beatifica esse projectum ! . . . Semper ma-

ledictione Dei onustum esse ! . . . Semper in ardoribus sempiternis habitare. . . . Numquam a doloribus alleviari !

Semper ! . . . Numquam ! . . .

O Jesu miserere mei, dum adhuc tempus miserendi !

Et tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne !

Punct. II.

Vermis eorum non moritur.

Meditemur, quæ sint cogitationes damnatorum, quibus stimulis conscientiæ insuper magis cruciantur :

Continuo damnatos cruciabit cogitatio : *facile potuissem salvari : Deus voluit me salvum facere. . . Ego nolui salvus fieri.*

Pati in hac vita inopiam, dolores, animæ afflictiones : nulla culpa contracta, patientiam roborat cogitatio : hanc esse Dei voluntatem, qui nobiscum est in omni tribulatione nostra. Exclamat afflictus cum Propheta Job : "Sicut Domino placuit, ita factum est ; sit nomen Domini benedictum !"

At vero, si propria conscientia accusat et arguit, ipsummet hominem culpam contraxisse, et sponte sua hanc sortem infelicem sibi causasse ; dolor est, qui desperationem inducit.

Cogitemus, quantus dolor fuerit Ægyptiorum, qui decursu annorum fertilitatis, neglexerunt in annos sterilitatis sibi providisse.

Quantus dolor invaserit homines tempore diluvii ;—aut incolas Sodomæ quod ad tantam Dei longanimitatem, post tot exhortationes ad pœnitentiam, impœnitentes permanserint.

Sed quid est illa fames Ægyptiorum—quid ille interitus in aquis diluvii—quid ille ignis sulphureus super Sodomam, si comparentur cum fame, quam patientur damnati ut canes—cum illo interitu—cum illo igne, qui numquam extinguetur ?

Hoc est ille vermis conscientiæ, qui continuo mordebit, quod damnati ipsi sibi tantorum malorum causa sint :

Adeo *facile potuissem salvus fieri ! . . . Nolui !*

Nunc vellem animam meam salvare. . . . Sed *tempus non est amplius. . . .* Et hæc *desperabunda cogitatio* quantopere *cruciabit Sacerdotem in inferno !*

Imaginatio Cœlum et pulchritudinem ejus ostendet, quod perdidit. "Peccator videbit et tabescet ; desiderium peccatorum peribit."

Memoria ei objiciet media salutis, exhortationes, exempla, quibus Dominus vocavit—manum suam extendit, stetit ad ostium et pulsavit.

Intellectus indelibilem Characterem Sacerdotii demonstrabit ; sed in æternum opprobrium ; ut sciat ad quam grandem dignitatem fuerit elevatus, et in quantam ceciderit ruinam !

Quantopere talis a Deo projectus et maledictus Sacerdos cogitatione in æternum cruciabitur : *Voluit Deus me salvum* facere ; *ego nolui* salvus fieri :—elegerat me Deus, ut irem et fructum afferrem ; ego mendacium et vanitatem dilexi—folia dumtaxat protuli—omne consilium Dei despexi—nunc *ridet Dominus in interitu meo !*

Reflexione facta *super me ipso*, an non ambulavi tales vias ; corde contrito *Colloquium* faciam cum Jesu Christo quem in cruce pendentem intueor ; gratus mirabor, quod non permiserit, me in tale exitium ruere.

Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus ; tantus labor non sit cassus ! Recordare Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die.

ANIMA CHRISTI.

Thomas a Kempis i. 24.

DIES III. MEDITATIO II.

DE MORTE PECCATORIS ET JUSTI SACERDOTIS.

"Statutum est hominibus semel mori"—*mors certa.* "Nescitis diem neque horam."—*Tempus mortis incertum.* "Mors stipendium peccati."—*Quomodo moriar ?—ignoro.* "Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis."

I. Mors peccatorum pessima. (Ps. xxxiii.)

II. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. (Ps. cxv.)

PRÆLUDIUM I. Præsentes nos sistimus ad lectum impœnitentis Sacerdotis ; videmus angustias ejus : quam dire eum torqueant *præterita—præsentia—futura.*

PRÆLUDIUM II. Concute Domine timore renes et corda nostra : illumina oculos nostros, ne umquam obdormiamus in morte !

Punct. 1.

Mors peccatorum pessima.

Timor mortis conturbat morientem peccatorem, quia nemo est qui adjuvet: a Deo et ab hominibus se novit derelictum.

a) *Memoria præteritorum*, vitæ nimirum in peccatis et in oblivione Dei suæque salutis incuria transactæ, multum gravat conscientiam ejus.

Transierunt dies ejus: dies vacui meritis, pleni peccatis. Delicta juventutis et ignorantias ante oculos videt ac meminit, qui tantillus adhuc puer, tantus peccator fuerit.

Non vixit juxta finem suum, ad *laudem et honorem Dei*, ejusque *servitium:* Sublimem electionem suam *ad Sanctum Sacerdotium* pro nihilo duxit: Non Deum sed seipsum quæsivit in cunctis operibus suis, de quibus jam recepit mercedem.

In sua memoria versantur tot a Deo accepta beneficia et gratiæ, quas neglexit; talenta, quæ in terram fodit; gratia Sancti Sacerdotii, qua in suum perpetuum detrimentum abusus est.

Tunc constabit morienti Sacerdoti, a quanto culmine dignitatis sit lapsus, et in quam profundam abyssum mox sit ruiturus.

b) *Præsentia* non minus conturbant morientem Sacerdotem: Spes longioris vitæ sublata est: rebus omnibus orbatus et omnium virtutum nudus, ibit in domum æternitatis suæ; sed veste peccatorum indutus coram Deo judice mox comparebit.

Frons frigido sudore tectus —oculi fracti—lingua exsiccata est:—vires ei deficiunt ad exhalandam impiam animam.

Quantus autem terror infelicem animam ejus occupat! Supra se videt iratum Deum, qui eum condemnabit (ait S. Aug.); infra se videt apertum infernum, qui eum absorbebit —a dexteris videt multitudinem peccatorum, quæ eum accusant—a sinistris videt diabolum rugientem, qui quærit quem devoret.

Sacerdos impœnitens vitam egit a Deo semotus:—omne consilium Dei sprevit in vita, nunc se a Deo derelictum sentit in morte. Vocavit eum Dominus ad pœnitentiam; manum suam extendit.—Peccator renuit—nunc in interitu ejus ridet Deus.

c) *Et quæ futura sunt*, quantopere conturbant morientem peccatorem ! Nunc vox judicis insonat in auribus impœnitentis : " Redde rationem " gratiarum — munerum — officiorum, quæ neglexisti.

Quomodo lux tua luxit, ut viderent homines opera tua ? Quomodo introivisti ad altre Dei, ad sacrificandum Altissimo ? Quam digne, qua judex conscientiarum, Sacramentum reconciliationis administrasti—et ministerium implevisti constitutus mediator inter Deum et homines, et dispensator mysteriorum Dei ?

Redde rationem de usu indigno Sacramentorum ; de tot Sacrilegiis et datis scandalis ; de ruina tot animarum, quæ tua incuria in æternum perierunt !

Vere mors peccatorum pessima ! A tam infelici morte libera nos Domine !

Ingemisco tanquam reus ; culpa rubet vultus meus. Nunc, O Domine, dum adhuc tempus remissionis superest, supplicanti parce Deus !

Punct. II.

Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

In hoc II. Puncto ad lectum justi morientis mente accedimus, qui sicut in vita adhæsit Domino suo Jesu, ita nunc in morte in manus Domini animam suam commendat, moriens cum Jesu.

a) *Recordatio præteritorum* gaudium illi affert de labore exantlato et superatis difficultatibus. Ait S. Bern.

Contemplor ejusmodi pium Sacerdotem in mortis articulo : Beatus ille animam suam ab omni macula mundam eo usque præservavit. . . Quantum inde gaudium, quod legem sanctam Dei custodiverit ; quod cum gratia cooperatus sit ;—quod juxta sanctam vocationem suam fideliter ambulaverit !

Quod si infelici lapsu maculam contraxit, solatur eum conscientia, se in sacramento pœnitentiæ, in sanguine Agni sordes lavisse, et toto corde ad Deum fuisse conversum, apud quem gratiam invenit et misericordiam.—Cum Petro flevit amare—cum Magdalena lacrymis suis rigavit pedes Jesu.

Elegerat sibi Jesum qua ducem ; cum illo contra hostes animæ fortiter dimicavit—Victoriam retulit—nunc de manu ejus palmam expectat :—plenus fiducia cum Apostolo eloqui-

tur: "bonum certamen certavi, cursum consummavi—repósita mihi est corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex." Cum S. Hilarione merito dicere potest: Septuaginta anni sunt, anima mea, quibus Deo servivisti; cur mortem timeres?

b) *Status præsens* gaudium fert de novitate. (S. Bern.) Fervens Sacerdos videt et agnoscit, quia dies sui transierunt et solum ei superest sepulchrum.—Videt dies plenos meritorum, opera multa bona, ob amorem Dei et proximi collecta, quæ sequentur eum ad felicem æternitatem.

Nunc hiems doloris et laboris transiit—imber tribulationis abiit et recessit.—Recedunt vetera; nova fiunt omnia; unde lætus ingreditur in gaudium Domini sui. . . .

Bonus operarius gravi ministerio, in cura animarum, longo tempore fideliter functus est; nunc tanto magis meritorium hoc illi accidit.—Onus diei et grave pondus officii sui portavit: Vespera advenit, ut requiescat a laboribus suis.

Domum suam, tam quoad temporalia, quam quæ ad spiritum spectant, rite disposuit:—mortem itaque et ultimum certamen cum fiducia præstolatur, cupiens dissolvi et esse cum Christo, ad quem læta mente cum servis in Evangelio accedere et dicere potest: "Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum."

c) Non timor judicii Dei, quem pius Sacerdos semper in corde servavit, hunc turbat morientem. Sed dignitas Sacerdotii, ad quam Dominus eum elegit—et merita, quæ juxta vocationem sibi collegit, *de felici æternitate securum faciunt.* (S. Bern.)

Donec viveret, similis erat militi, qui in acie contra validos hostes fortiter pugnat; sed adhuc incertus victoriæ.

Similis erat navi, quæ pretiosis mercibus onusta, secundis ventis ad portum properat; at nondum omnis periculi expers est.

Nunc strenuus miles Christi victoriam reportavit, dignus qui palmam accipiat. – Nunc ad felicem portum æternitatis ingreditur, certus, quod, quæ paravit, nullus ei auferre possit.

Mercedem de manu Domini secure expectat - coronam Gloriæ quam reddit ei justus Judex, illico accipiet.

Vere pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus!

An ego juxta sanctam vocationem, qua a Deo gratiose vo-

catus sum, et juxta cooperationem meam, talem mortem certo sperare possum?

An delicta et ignorantias amare deflevi? An infidelitates meas novo zelo et labore compensavi? Quid faciam imposterum?

Colloquium cum B. V. Matre, ut pro me oret, nunc et in hora mortis meæ.—Cum S. Bernardo *ad Jesum:*

Hora mortis meus flatus intret Jesu tuum latus; In hac fossa me absconde, ibi cor meum reconde!

ANIMA CHRISTI.

Thomas a Kempis i. 23.

DIES III. MEDITATIO III.

DE JUDICIO UNIVERSALI.

Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium. *Hebr. ix. 27.*

Experientia constat, statutum esse, ut omnes homines moriantur.—Fides docet, statim post mortem cuilibet subeundum esse judicium particulare, in novissimo die futurum judicium universale.

Testatur de se S. Augustinus nihil ad suam conversionem efficacius contulisse, quam recordationem Judiciorum Dei.

Illico in mortis articulo, anima a corpore separata, ante tribunal Dei sistetur, ut, sicut homo gessit in corpore, bonum vel malum, recipiat.—*Momentum unde dependet æternitas.* (*Vid. de Judicio partic.*)

In *hac meditatione* ea contemplamur, quæ ventura sunt in novissimo die. "Venit hora, ait Jesus, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei et resurgent." (Joan. v. xxviii.)

PRÆLUDIUM I. Vivide sibi præsentare vallem Josaphat, ubi in novissima tuba, per Dei omnipotentiam, omnes homines congregabuntur, ut coram Filio Dei Jesu Christo judicium subeant.

PRÆLUDIUM II. Suppliciter Deum rogamus, ut de hac veritate intime penetremur, et salutari timore hujus universalis judicii percellamur.

Punct. i.

Circumstantias hujus judicii contemplor.

Audire mihi videor terribilem sonum illius novissimæ tubæ. "Surgite mortui, venite ad judicium!"

Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum coget omnes ante thronum—mors stupebit et natura!

Video, quomodo omnes homines propria carne induti, in ista valle congregentur, qui singuli trementes ex ore justi Judicis irrevocabilem sententiam expectant.

Judex ergo cum sedebit, quidquid latet apparebit, nil inultum remanebit.

Video, quomodo Signum Crucis—illud signum redemptionis nostræ, in nubibus Cœli appareat.—Tum filium hominis Jesum Christum, cui Pater cœlestis potestatem dedit judicium facere, in fulgore suæ majestatis descendentem intueor.

Video, quomodo strictus ille Judex mox iniquos a justis segreget (sicut pastor solet segregare hædos ab ovibus) hos ad dexteram suam, iniquos ad sinistram suam collocans. (Matth. xxv.)

Et *ego* ad quodnam latus Judicis tunc stabo segregatus? Judex justus unumquemque judicabit juxta opera sua: qualia sunt opera mea? Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, cum vix justus sit securus!

Recordare Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die. . . . Inter oves locum præsta, statuens me in parte dextra!

Punct. ii.

Quis Judex futurus.

In hoc puncto meditamur, quis et qualis ille sit, qui venturus est judicare vivos et mortuos; unde magis cognoscatur, quantopere dolorosa futura sit *sententia damnationis* ex ore talis Judicis.

Ille filius hominis Jesus Christus, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est;—Ille, qui dilexit nos, et tradidit se ipsum pro nobis;—qui lavit nos in sanguine suo;—qui in cruce oravit: Pater dimitte illis;—qui, factus erat frater noster—sponsus animæ nostræ;—qui qua bonus pastor, nos corpore et sanguine suo

nutriverat. . . . *Ille* nunc constitutus est judex, qui de spreta sua amicitia, et de suo sanguine, pedibus conculcato, judicium ferens, vindictam sumet.

Ut acerbitatem hujus Judicii et dolorem concipiam, a tali Judice ad æternum supplicium condemnari, recordabor exempli Josephi in Ægypto. Refert sacra historia, quanta angustia premerentur et timore concuterentur fratres ejus, dum Joseph se illis cognitum faciebat, et verba proferebat: *Ego sum Joseph frater vester*, quem vos vendidistis!

Joseph illa verba cum amore et lacrymis eloquebatur; et tamen ingenti tremore fratres perculsi sunt. Nimirum culpabat illos conscientia invidiæ et pessimi facinoris adversus fratrem, cujus innocentiam noverant: qui pro illis apud patrem intercedebat, et escam in campum illis portabat; quem summa malitia in Ægyptum vendiderant.

In die illa tremenda judicii insonabit similis vox in aure eorum, qui condemnabuntur: *Ego sum Jesus frater vester*, quem vos vendidistis. "Tunc loquetur in ira sua et in furore suo conturbabit eos."

Ego sum Jesus, qui dilexi vos et tradidi me pro vobis! tamquam mediator loquebar pro vobis ad Patrem! In escam et potum carnem et sanguinem meum vobis dedi.

Ego sum Jesus frater vester; quid amplius facere potui, ut dilectionem meam manifestarem? *Quem vos vendidistis!*

Vos omnem dilectionem meam sprevistis! pro tot donis et gratiis odium et offensam reddidistis!

Elegi vos, et posui vos ut fructum in sacerdotali ministerio afferatis: Constituti vos Sacerdotes, offerre Deo hostiam laudis, Sacrificium reconciliationis.—Mediatores vos feci, ut reconcilientur corda filiorum ad patrem. . . .

Vos pejores ac Judas, qui me tradidit, ipsi proditores facti; etiam alios seduxistis et perduxistis in perniciem!

Nunc justitia exigit, ut de spreta mea amicitia, et de tot gratiarum abusu vindictam sumam, et æternæ damnationis sententiam super vos proferam!

Punct. iii.

Terribilis sententia Judicis.

Tunc, quando electi a reprobis fuerint segregati, Judex divinus os suum aperiet, et voce tremenda sententiam adversus reprobos, qui a sinistris ejus sunt, pronuntiabit: "Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus." (Matth. xxv.)

Verba terribilia! quis acerbitatem illorum comprehendere potest? Quis umquam capiet, quam triste et amarum sit, in æternum a facie Dei projici? *discedite a me!*—In æternum maledictione Dei onerari? *discedite maledicti!*—In æternum flammis acribus aduri *in igne æterno!*

Quantus dolor visione beatifica numquam frui! Semper in æternum a societate Sanctorum in Cœlis separari! Cum diabolo et angelis ejus in ardoribus sempiternis habitare.

Et quid post prolatam hanc damnationis sententiam maledictis restabit? Nihil amplius illis restat, respondet S. Ephrem, quam ut a Cœlo et terra in perpetuum separandi, Deo et Angelis ac Sanctis ejus mæstissimum *vale—valete* dicant:

Valeto, O Deus immensæ majestatis! a Te et propter Te creati sumus ut de facie Te videamus; nunc in æternum a Te separamur!

Valete, Angeli et *Sancti Dei!* Vos beati in gloria cœlesti semper lætabimini; nos damnati in flammis inferni cruciabimur!

Valeto, O Maria! quondam Mater misericordiæ; nunc illi misericordes oculi tui nobis in æternum clausi manebunt!

Valeto, Cœlum, Civitas Sancta Dei! mansio gloriosa pro Electis et Benedictis! Nos propria culpa te perdidimus!

Inter similia lamenta vallis Josaphat sinum suum aperiet, et: "Ibunt maledicti in supplicium æternum; Justi autem in vitam æternam." (Matth. xxv.)

Juste judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis. Recordare Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die!

Et illos tuos misericordiæ oculos, nunc O Maria, refugium peccatorum, ad nos converte!

Anima Christi. — *Thomas a Kempis iii. 48.*

DIES IV. MEDITATIO I.

LAPSUS ET PŒNITENTIA PETRI.

Malitiam et horribiles pœnas peccati meditati sumus, atque in amaritudine cordis nostri delicta juventutis et ignorantias nostras cognovimus et deflevimus amare.

At vero, ne miser peccator pondere peccatorum pressus, animo cadat, de venia obtinenda diffidens; propterea S. Ignatius commendat, ut in sinum misericordiæ Dei, cui proprium est misereri et parcere, peccator cum fiducia se recipiat.

Hanc Dei misericordiam in exemplo Petri pœnitentis intueamur; ut et nos, si Petrum labentem imitati fuerimus, pœnitentem imitemur.—Meditabimur:

I. Tristem lapsum Petri.—II. Quem Dominus respexit.—III. In pristinam gratiam recepit.

Præludium I. Attento intuitu Petrum in atrio pontificis stantem et se calefacientem videmus.—Verba, quibus ter divinum suum Magistrum negat,—tum galli cantum audimus!

Præludium II. Humiliter Deum rogamus, ut in exemplo Petri gravem nostrum lapsum, sed et grandem Dei misericordiam cognoscamus, qui pari modo nos respexit, ut ad pœnitentiam moti, defleamus peccata nostra.

Punct. I.

Tristis lapsus Petri.

Petrus, princeps apostolorum, quem Dominus constituerat petram Ecclesiæ suæ, misere lapsus est. . . . "Qui se stare existimat, videat, ne cadat."

Quis ille, quem adeo graviter labentem intuemur? Discipulus est, ab ipso Jesu Christo Dei Filio electus in Apostolum; singularibus gratiis et privilegiis præ cæteris discipulis ornatus; quem Dominus ob confessionem suæ Divinitatis beatum vocat;—cui claves regni Cœlorum dedit.

Discipulus est, quem Dominus in montem assumpserat, testem fieri suæ gloriæ in Transfiguratione sua.

Quid?—In quo lapsus adeo gravis consistit? Petrus negat suum Magistrum, quem paulo ante Filium Dei solemniter confessus fuerat; cujus corpus et sanguinem manducaverat.

Ubi? Qua occasione hæc negatio facta? In atrio Pontificis inter servos et ancillas. Respectu humano territus erat.

Quomodo ad tale peccatum discipulus Christi devenit?

a) Nimia sui ipsius fiducia efficiebat, ut Petrus se aliis præferret: "Etsi omnes in te scandalizati fuerint, ego non scandalizabor."

b) Quidam torpor et tarditas in oratione eum ceperat; unde eum Dominus arguebat: "Non potestis una hora vigilare mecum."

c) Non satis munitus oratione, periculo et occasioni peccati se sponte exposuit; et frigescens volebat calefieri.

Subito exorta est tentatio: "Ancilla ostiaria dixit Petro: "Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? . . . Negavit Petrus; cepit anathematizare; quia non novi hominem."

O quam deplorandus lapsus talis discipuli quem divinus Magister tot donis et gratiis prævenerat!

Sacerdos Domini! oculos in te ipsum conjice, et te examina:

Quis es tu? Quot quantisque gratiis et donis te Dominus exornavit? "Fungi Sacerdotio."—Quale munus tibi commisit? "Pasce oves meas." Qualem potestatem tibi dedit? "Quorum remiseritis peccata."

Vere grandis dignitas Sacerdotis! Sed nonne fors et tu Discipulus, quem elegit Dominus, graviter lapsus es?

Quomodo mutatum est aurum optimum?—Dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum!" Ita Propheta ingemiscit.

a) Nimia sui ipsius fiducia efficit, ut Sacerdos se satis fortem existimet; pericula peccati parvi pendat, et se in illa conjiciat.

b) Monitum divini Magistri: "Orate et vigilate," parum cordi habet.

Equidem statuit Christum sequi; sed tantum a longe eum sequitur: Missam sacram celebrat—Breviarium orat—et alia pietatis opera absolvit; sed sine devotione; in spiritu tepiditatis.

c) Non satis munitus oratione sentit se frigescere, et inter mundana oblectamenta quærit sibi solatium, ut calefiat.

Subito exoritur illi tentatio, tanquam ancilla ostiaria: Sic Sacerdos periculis expositus, oratione non munitus, misere

corruit! "Et qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora."

Miserere mei Deus! Tibi soli peccavi et malum coram te feci!

PUNCT. II.

Respexit Dominus Petrum (*Lucæ xxiii.*)

Petro adhuc loquente et anathematizante, cantavit gallus. Jesus autem respexit Petrum; qui recordatus verbi Domini, exivit foras et flevit amare.

Quanta bonitas, quæ misericordia Domini! quam efficax ille intuitus, dum Petrus verba negationis adhuc in ore habebat!

Absque mora Petrus egressus foras, locum et personas deserit, occasionem fugit, periculum avertit, lacrymis pœnitentiæ genas rigat ut culpam lavet; amare flens, quod Magistrum adeo bonum tanta infidelitate offenderit.

Et tu! Sacerdos Domino consecrate, qui hanc Dei misericordiam meditaris! Numquid fors et tu lapsus es? Gravius forsitan quam Petrus et frequentius lapsus?

Nonne et tu similem Dei misericordiam es expertus? Quanta longanimitate te peccantem, et factis Dominum tuum negantem, misericors Deus sustinuit? Quam benigne te respexit; quoties gallus cantavit? Vox conscientiæ te ad pœnitentiam excitavit?—Petrus autem exivit foras et flevit amare.

An discipulum peccantem, sed ad intuitum Domini pœnitentem, occasionem peccati fugientem, et de peccato amare dolentem, imitaris?

Hic intuitus Domini, qui te ad pœnitentiam invitat, fors ultima gratia est, quæ tibi dabitur. Ergo, "Hodie Si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum."

PUNCT. III.

Quanto amore Dominus Petrum suscepit.

Quemadmodum pater filium, qui perierat, sed pœnitens revertebatur, cum amore suscepit, omnium iniquitatum ejus non recordatus; pari amore Jesus Petrum pœnitentem suscepit: et oblitus injuriæ, novis eum gratiis adauxit.

Post resurrectionem suam Dominus apparens mulieribus, jubet, ut hanc resurrectionem etiam Petro nuntient. Sed et

ipsi Petro, ut de lapsu suo amare dolenti animum adderet, Dominus redivivus apparere dignatus est. Satisfactionem ei injunxit, ut eum amet, et hunc amorem verbo et exemplo comprobet.

Ut trinam negationem Petrus expungat, Dominus ter eum interrogat: "Simon Joannis diligis me?"—Cum autem Petrus trino responso suum amorem affirmasset, injunxit illi Jesus, ut agnos suos et oves pasceret. Hanc satisfactionem Petrus, oves Christi verbo et exemplo pascendo, et vitam suam pro ovibus tradendo, omnino complevit.

In hanc Petri pœnitentiam frequenter oculos convertamus, et misericordiam, qua Dominus eum suscepit, sæpe mente volvamus, memores, quod pari modo Deus nos respexit, ad pœnitentiam nos vocavit, in gratiam nos suscepit.

Poscit autem a nobis Dominus, ut diligamus eum, et amorem verbo et opere monstremus. . . . Constituit nos Dominus pastores ovium suarum; vult, ut hujus pastoralis officii partes cum amore et patientia expleamus. Bonus pastor cognoscit oves suas—vigili cura eas tuetur contra lupum—ad pinguia pascua eas educit—Etiam vitam pro ovibus tradit.

Talem amorem ostendit nobis Dominus: quam dignum et justum, ut et nos amorem reddituri, similia faciamus.

O Domine dilexisti me, et tradidisti teipsum pro me! respexisti me, et pepercit mihi oculus tuus! in corde contrito misericordias tuas laudo et in æternum cantabo.

PATER.—AVE.—ANIMA CHRISTI.

Thomas a Kempis ii. 5.

DIES IV. MEDITATIO II.

DE REGNO CHRISTI.

Evocatio Regis æterni Jesu Christi ad sui sequelam.

Absoluta I. Hebdomada Exercitiorum, quæ viam purgativam exhibet, ad tollendas inordinatas affectiones et peccatorum sordes, necesse est, ut *illuminemur, quid faciamus oportet* ad vitam æternam consequendam. Proponitur nobis exemplum Regis æterni Jesu Christi ; atque excitamur, ut jam non simus *indifferentes* (quæ indifferentia in fundamento commendatur) ; sed magis *inclinemur ad ea*, quæ gravia et *naturæ contraria sunt ;* ut ita Regi nostro, *qui talia sibi elegit*, similes evadamus.

Contemplatio hæc alterum fundamentum est, *pro hac II. Hebdomada.*

Oratio præparatoria solita.

Præludium I. Visu imaginationis videre Synagogas, oppida et castella, quæ Christus Dominus prædicans pertransibat.

Præludium II. Gratiam humillime petam, ne sim surdus ad evocationem *Regis mei ad sui sequelam ;* sed promptus sim, et alacer ad Sanctam Voluntatem ejus explendam.

Punct. I.

Regem humanum *divinitus electum* in parabola meditamur, cui principes et omnes homines christiani reverentiam et obsequium debent.

1. *Dotes ejus—nobilissimum finem*—et *certitudinem victoriæ* considero :

a) Sicut divinitus electus est Rex ille, ita *singularibus dotibus* sapientiæ, fortitudinis, affabilitatis ornatus est, unde subditorum suorum corda facile lucrari possit, ut sponte eum sequantur.

b) Attendo ad *nobilissimum finem*, ob quem omnes suos ad sequelam invitat : mea voluntas est, ait, universam terram infidelium ditioni meæ eo fine subjicere, ut omnes homines in agnitionem Dei veri veniant, ei serviant, et salvi fiant.

c) *Certitudinem hujus finis* assequendi a Deo habet, et omnes, qui cum eo dimicant, victoriæ certos reddere potest, eosque inter belli pericula permansuros incolumes.

2. Potissimum ad *conditionem attendo*, quam Rex iis, qui eum secuturi sunt, imponit: ut nimirum parati sint, non alio uti victu, vestitu, rebusque aliis, quam Regem utentem viderint; in iisdem quoque laboribus, vigiliis et belli incommodis perdurent; ut dein, sicut laborum, ita victoriæ participes cum Rege fiant.

Rex ipse non melius quam singuli subditi haberi vult; —ipse ante omnes vult incedere et belli pericula ferre; atque spondet, se palmam victoriæ cum singulis divisurum esse.

3. His positis *conditionibus*—hac stabilita *victoriæ certitudine* et *fine belli dignissimo*, mecum considero, quid boni subditi Regi amantissimo et adeo liberali, tot præclaris donis divinitus ornato et destinato, respondere debeant. . . .

Quid *ipse Ego* ad talem invitationem responderem? quid facerem? . . .

Quam prompte ad omnem Regis voluntatem sese accingent, et pro tali victoria reportanda anhelabunt! . . .

Omnes procul dubio sacro zelo accensi id respondebunt, quod olim antecessores nostri, ad terram sanctam a jugo infidelium liberandam invitati, uno ore respondebant: *Voluntas Dei est!* . . .

Quod si vel unus ad tanti Regis evocationem non obaudiret, quantopere dignus esset, qui vituperaretur ab universo mundo, et quam ignavus miles foret æstimandus! . . .

Punct. II.

Secunda pars hujus exercitii consistit in applicatione hujus exempli regis temporalis ad Christum Dominum nostrum secundum dicta illa puncta singula.

1. Dominus noster Jesus Christus in veritate *Rex est:* Rex regum et Dominus dominantium; propterea in mundum venit ut sit Rex noster; "beatus et solus potens, cui debetur honor et gloria."

a) *Dotes*, quibus qua filius hominis a Patre suo cœlesti ornatus est, unde ad amorem ejus et sequelam impellamur, tales sunt, ut sua dignitate, sapientia et fortitudine omnium corda rapiat, et ad omnem obedientiam et amorem provocet.

b) *Finis*, quem *sibi præfixit*, ad quem ad secum prœliandum subditos suos invitat, nobilissimus est :

Mea voluntas est, inquit, totum mundum subjicere, et omnes inimicos debellare, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare : proinde quisquis voluerit eo mecum venire, laboret mecum necesse est ; ut sequens me in laboribus, etiam me sequatur in gloria.

c) *Certitudine gaudet* finis hujus et victoriæ reportandæ ; ac omnes, qui fideliter et fortiter cum eo dimicant, *victoriæ certos*, eosque *incolumes mansuros*, reddere potest.

2. Omnibus autem, qui ipsum comitari voluerint, *conditionem* imponit, ut si velint eum sequi in gloriam, sequantur prius in vigiliis, laboribus et belli incommodis ; nec alio victu, vestitu utantur, quam quibus regem utentem viderint.

Ipse Rex ante omnes vult incedere, et primus in acie labores et belli gravamina ferre. Spondet autem solemniter, se parta victoria palmam et coronam cum singulis divisurum.

Hic Rex gloriæ Jesus Christus omnes homines ad sui sequelam invitat, cupiens, omnes beatos et cœlestis suæ gloriæ participes facere.

In hoc prœlio omnia grandia sunt et præclara nimis : *Potentes sunt hostes :* mundus, diabolus, pravæ cupiditates. *Fortia sunt arma :* fides, oratio, humilis fiducia. Præclari sunt *certaminis Socii :* SS. Apostoli, Martyres, Confessores. Nobilis et *potens dux ipse divinus* Jesus Christus.—Dives et *præclara est merces :* palma et corona cœlestis gloriæ.

3. Hac posita *invitatione*, his *conditionibus*, quid boni subditi, modo sanæ mentis sint, Regi huic cœlesti *adeo potenti et amabili*, considerata adeo *præclaræ mercedis certitudine*, respondebunt ?

Quid ego ? . . . Quis mihi ad hæc animus ? *Quid faciam ?*

Si terrenus ille Rex cum bellica sua evocatione dignus est, cui subditi alacriter obsequantur ; quanto magis hic Rex æternus, toti mundo conspicuus, Dominus et Deus noster, dignus est, quem omnes sequantur, idque summo honori sibi ducant ?

At illi potissimum, qui magis erga Christum regem affici velint, et *insignes se exhibere* in servitio sui Regis æterni, non solum offerent se ad omnem laborem, sed etiam agendo *contra propriam sensualitatem*, et contra *suum amorem carnalem*

et *mundanum*, oblationes facient majoris æstimationis, suique abnegationis, cupientes Duci suo assimilari.

An ego ita arcte me Regi meo Jesu Christo adjunxi, ut jam eum sequar in prœlio *veste ejus indutus?* an paratus sum labores et certaminis *incommoda pati?* . . . An me dignum existimo qui palmæ et gloriæ ejus *particeps fiam?* . . .

Vocatus electus a Deo *ad Sanctum Sacerdotium*, arctiori vinculo quam cæteri homines Jesu Christo me obstrinxi, ut in omni servitio hujus Regis æterni *insignem me exhibeam*, atque ea amplectar, quæ ipse Rex sibi elegit, sensualem naturam opprimendo, et contra amorem mundanum agendo, sicut invitat dicens: "Qui vult venire post me abneget se ipsum, tollat crucem suam et sequatur me."

An tali vocatione digne ambulavi? . . . Amare deflebo infidelitatem meam et ignaviam in prœliando bella Domini!

Nunc Sacramentum militare hodie coram Rege meo Jesu Christo et universa Curia cœlesti innovans, intimo cordis affectu dicam:

O Rex æterne ac Domine rerum omnium! Ego licet indignissimus, Tua tamen fretus gratia et ope, *me Tibi penitus offero* . . . . *meaque omnia* Tuæ subjicio voluntati; attestans coram infinita Majestate Tua, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris Tuæ, totiusque Curiæ cœlestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum: ut quam possim proxime Te sequar et imiter in ferendis injuriis et adversis omnibus; in mei ipsius abnegatione et cruce mea ferenda! . . . (Nota, hic non agi de voto emittendo).

Ad hoc explendum uberem, quæso, gratiam mihi largiaris.

ANIMA CHRISTI.

Thomas a Kempis iii. 56.

DIES IV. MEDITATIO III.

DE INCARNATIONE FILII DEI.

Hac contemplatione S. Ignatius secundam Hebdomadam Exercitiorum, *viam illuminativam* ingreditur, qua illuminamur, inspicientes *in auctorem Fidei Jesum Christum* et exemplar quod imitemur.

Scopus hujus hebdomadæ est, intime cognoscere Dominum nostrum Jesum Christum, ut magis *eum amemus*, et *vestigia ejus sequamur*. . . .

Hic fructus in omnibus his mysteriis quærendus est. In tribus punctis meditamur:

I. Necessitatem Redemptionis.—II. Dei desuper Consilium.—III. Cooperationem B. Virginis Mariæ ad Incarnationem Filii Dei.

PRÆLUDIUM I. In mentem adduco historiam rei contemplandæ: quomodo tres Personæ divinæ universam terræ superficiem speculantes hominibus refertam, qui omnes ad infernum descendebant, in Deitatis suæ æternitate decernant, ut salvetur genus humanum per Incarnationem secundæ Personæ SS. Trinitatis; mittendo Angelum ad B. Virginem.

PRÆLUDIUM II. Visu imaginario intueri magnum ambitum mundi, ubi habitant tam diversæ gentes. Simillter deinceps videre in particulari domunculam Dominæ nostræ in provincia Galilææ.

PRÆLUDIUM III. Peto suppliciter gratiam, ut intime perspiciam, quo pacto Dei Filius mea causa factus sit homo, ut ardentius eum amem, et abhinc sequar studiosius.

PUNCT. I.

Ut necessitatem redemptionis generis humani rite cognoscam, homines super terram in tanta diversitate speculor, adeo moribus, gestibus et actionibus diversos: quosdam albos, alios nigros, nonnullos fruentes pace, alios diris bellis agitatos—hos plorantes, alios ridentes cerno: hos sanos, alios super lectum doloris prostratos video. Multi sunt, qui mori-

untur ; plures qui quotidie nascuntur.—Cæterasque varietates prope innumeras considero.

Omnes hi homines super terram filii sunt, qui ab uno patre, quondam in paradiso terrestri summe felici, originem ducunt.

Omnes ad hunc finem a Deo creati, ut *Creatorem suum laudent*, eum *revereantur*, *ei serviant*, et ita *salvi fiant.*

Dum in hoc misero statu homines super terram contemplor, simul attendo ad ea quæ loquuntur et quæ faciunt, ut cognoscam quam profunde ab alta sua destinatione deciderint.

Auditu interno excipio quæ loquuntur ; quomodo jurant, blasphemant, sibi invicem conviciantes.

Opera eorum considerans, totum mundum in maligno positum agnosco : ubique populos cerno, qui diris odiis sese invicem persequuntur, infestant, et sanguinolentis prœliis trucidant. Alios attendo, quomodo dies suos in otio et mollitie transigunt, toti in explendis cupiditatibus suis.

Haud alios super universam terram invenio, quam miseros, insanientes, cæcos, in vita et in morte et post mortem in æternum infelices, nisi Redemptor fuisset concessus.

Atque inter hos adeo infelices et animo cæcos *ego quoque fuissem*, cæcus inter cæcos, miser inter miseros, nisi Redemptio venisset.

Ergo : "Rorate Cœli desuper et nubes pluant justum ; aperiatur terra et germinet Salvatorem !"

Punct. ii.

Consilium et decretum Dei de redimendo humano genere.

Tres divinæ Personæ e solio suæ divinæ Majestatis intuentes homines super terram in tanta cæcitate et malitia viventes, et quomodo ad infernum descendant, misericordia motæ consilium ineunt, atque decernunt genus humanum salvare.

Secunda Persona SS. Trinitatis, Verbum æterni Patris se Redemptorem offert : – Angelus Domini Gabriel ad virginem Mariam mittitur ; qui, legatione fungens, ei nuntiet, quod, per obumbrationem Spiritus Sancti, in utero concipiet, et integra manente virginitate sua, filium pariet.

"*Et verbum caro factum est*, et habitavit in nobis."

"Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret."

Reflectam, qualem *ego fructum ex tanta Dei misericordia* capiam.

Beneficium et *uberes fructus Incarnationis* considero :

"Ubi abundavit delictum superabundavit gratia."

1. Hoc mysterio Deus singulari modo manifestat *sapientiam* suam, *sanctitatem*, *amorem*, *misericordiam*. . . .

2. Ad amorem reciprocum homines inducit.—Sed etiam singulares gratias, ad salutariter operandum, elargitur.

Verbum Patris *caro fit*, ut cor hominis carnale ad se trahat et secum amore copulet.

Et quam *speciosi fructus* sunt hujus mysterii !

a) Verbum divinum caro factum *fit Summus sacerdos noster*, qui Deo Patri suo sacrificium reconciliationis obtulit, et divinæ Majestati pro offensis nostris de condigno satisfecit.

b) Filius Dei *fit Redemptor noster*, qui nos redemit in suo sanguine. Delicta nostra in se tulit, et pro iis pretium sanguinis sui divino Patri persolvit.

c) Filius Dei *fit Salvator noster*, qui a servitute diaboli nos liberavit ; in libertatem filiorum Dei nos restituit, et suos cohæredes in regno Patris sui nos effecit.

d) Filius Dei assumens humanam naturam *fit Frater noster*, caro de nostra carne ;—itaque cum fiducia ad Deum accedere possumus, gratiam habentes per Dominum nostrum et fratrem, Jesum Christum.

Quantum beneficium ! Quam sunt *insignes fructus hujus Incarnationis !* Quam merito gaudeamus et exultemus in Deo salutari nostro !

Punct. iii.

Oculos denique convertimus ad B. Virginem Mariam ; ejusque cooperationem ad Incarnationis mysterium meditamur.

Speculor humilem domunculam in Nazareth, quam Virgo illa davidica, inter omnes mulieres benedicta, inhabitat. Equidem inops rerum temporalium ; sed supra modum dives virtutibus et gratia :—quæ Virginitate Deo placuit . . . . humilitate Filium Dei concepit. . . .

Attendo, quomodo Angelus Domini Gabriel missus a Deo ibi appareat, qui huic virgini, quæ desponsata erat viro, Incarnationis mysterium annuntiet (Lucæ i. 22.)

Cœlestem hunc nuntium intueor splendore nitentem, sed simul alta veneratione erga virginem plenum.

Audio verba salutationis ex ore ejus : "*Ave Maria* gratia plena, Dominus tecum!" et cerno, quam turbetur virgo in sermone Angeli, quæ prudenter interrogat : "*Quomodo fiet* istud, quoniam virum non cognosco?" . . .

Audio responsum Angeli : "Spiritus Sanctus superveniet in te, virtus Altissimi obumbrabit tibi."

Ad hanc affirmationem, quod integra mansura sit sua virginitas, audio humilem virginem consentientem : "Ecce ancilla Domini ; *fiat mihi* secundum verbum tuum."

Reflectens ad ea, quæ modo vidi et audivi, multiplicem fructum inde capere satagam solatii, gaudii, fiduciæ, amoris.

O vere optatissimum verbum, *fiat mihi!* . . .

Ad hunc consensum virginis aperiuntur cœli ; et Verbum æterni Patris, propter nos homines et propter nostram salutem, descendit in uterum virginis ; et fit caro, conceptum de Spiritu Sancto.

Quantum inde *pro nobis gaudium*, quæ *gratiarum actio!* Filius Dei caro factus *fit frater noster!* ergo cum ipso eamdem *habemus Matrem Virginem* Mariam! . . . Per ipsum *accessum habemus ad Patrem.*

Frater sum Jesu Christi ; filius sum Mariæ ; quem timebo? filius Mariæ quomodo peribit? . . .

Colloquium faciam cogitando quid loqui debeam ad tres Personas divinas, vel ad Verbum æternum incarnatum, vel ad Matrem ejus et Dominam nostram, petendo juxta id, quod in me senserim, ad magis sequendum et imitandum Dominum nostrum ita recens (velut nunc) incarnatum.

PATER NOSTER—AVE MARIA—*Kempis iii. 5.*

DIES V. MEDITATIO I.

CONTEMPLATIO DE NATIVITATE DOMINI NOSTRI.

(Discimus Sanctam paupertatem.)

PRÆLUDIUM I. Historia rei contemplandæ. Ob edictum quod exiit a Cæsare Augusto, Maria Domina nostra, cum B. Josepho sponso suo iter facit in Bethlehem ; ubi non erat eis locus in diversorio. Coacti sunt ad stabulum divertere. Ibi in stabulo peperit Maria filium, et pannis involutum reclinavit in præsepio. Angeli celebrant Nativitatem.

PRÆLUDIUM II. Visu imaginationis videre viam, quam emensi sunt, et stabulum, in quo Filius Dei nasci voluit ; quam erat vile, humile, sordibus plenum, aëris injuriis undequaque expositum.

PRÆLUDIUM III. Supplex oratio, ut rite *agnoscam amorem*, quo sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut etiam ingentem charitatem noverim et *paupertatis exemplum*, quod Filius Dei, in mundum veniens nobis exhibere voluit ; unde *amor reciprocus*, et ardor, *ejus paupertatem imitandi* in me enascatur.

PUNCT. I.

Videre Personas.

Intimo cordis affectu mente contemplor personas, quas in vili illo stabulo præsentes reperio :

Ante omnes benedictam illam Virginem Matrem Filii Dei pia mente intueor : Virginem, de qua Isaias Propheta vaticinatus est : "Ecce Virgo concipiet et pariet filium." Quam Gabriel Angelus gratia plenam —benedictam inter mulieres, salutavit. Virginem de domo David—nunc quidem pauperem, despectam, sed ornatam virtutibus, et divitem meritis.

In facie ejus admiror *virgineam castitatem* prælucentem, et *humilitatem*. Illa est, quæ virginitate Deo placuit, et humilitate concepit.

Fructum inde capiens, admirabor, quam sit eximia virtus *intemerata virginitas*, et in quanto pretio habenda *sit humilitas*, ut amore harum virtutum intime afficiar. . . .

Tum oculos conjicio in B. Joseph, virum justum et rectum, quem Dominus elegerat in sponsum virginis, in adjutorem et tutorem ejus virginitatis.

Video quomodo Angeli Dei humile illud præsepium circumstant, et Filium Dei, pro hominibus incarnatum, adorant.

Etiam pauperes pastores ad illud stabulum accedentes video. Hi primi sunt, ab Angelo ad hoc regale præsepium invitati.

Inter hos me adesse fingam tanquam *pauperculum et servum* indignum; contemplando illam sacram familiam et serviendo Dominæ meæ in suis necessitatibus, cum omni possibili obsequio ac reverentia, ac si præsens adessem.

Potissimum oculos et mentem in blandum illum recens natum Puerulum converto, speciosum forma præ filiis hominum!

Verba Isaiæ Prophetæ meditor: "Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis" . . . "et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis."

Cum Angelos videam, et pastores Puerum hunc profunde adorantes, me illis adjungo, profunde adorans, ac uberem fructum colligens *admirationis*, quod Deus propter me natus sit;—*gratiarum actionis* et *amoris reciproci!* . . .

Ut autem perfectius cognoscam et intimius amem Puerum, quem natum contemplor, examino et interrogo:

a) *Quis Puer ille est*, quem in tanta paupertate natum intueor?

Est ille desideratus cunctis gentibus, quem Prophetæ annuntiarunt; quem Patriarchæ præstolabantur: "Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum."—Est ille *Emmanuel*, *Deus nobiscum*, de quo Isaias: "Deus ipse veniet et salvabit vos."

b) *Quare hic desideratus* descendit de cœlis, et in terris nasci voluit? Fides nos docet: Propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis et incarnatus est. Nimirum, ut qua Salvator nos *Patri suo cœlesti reconciliet*, *a peccatis nos liberet—nos sanctificet—beatos non faciat.*

c) Quare *tantam paupertatem* sibi et parentibus suis elegit? "Cum esset dives," ait Apostolus, "et Dominus omnium, egenus *pro nobis* factus est, ut nos sua *gratia divites faciat*"

. . . . ut *exemplum nobis* daret, quo facilius bona cœlestia nobis comparemus.

Ergo *in ipsa paupertate* thesaurus gratiarum absconditus esse debet, quam propterea hilari mente amplectar.

Punct. II.

Attendere ad sermones quos proferunt.

Audio concentum Angelorum in jubilo canentium : "Gloria in excelsis Deo, et pax hominibus bonæ voluntatis."

Et pastores laudantes ac simplici voce gratias agentes audio, quod primi vocati et electi sint ad hoc regale præsepium.

Ad ea præsertim attendo, quæ mente et voce B. Mater et S. Joseph proferunt : non audio de miseriis conquerentes, quas patiuntur ; —admirantur potius exinanitionem Filii Dei, seque totos ad omnem Dei nutum paratos offerunt.

Quam *profunda eorum adoratio* ad primum aspectum hujus divini Infantis ! Quæ solemnis *gratiarum actio* de conservata virginitate ! Quam lubens et perfecta *sui ipsius oblatio*, et *lætum obsequium !*

Etiam divinum Puerulum, licet adhuc sermonis expertem, ad cœlestem suum Patrem loquentem audire videor : "Oblationem et hostiam noluisti : corpus autem adaptasti mihi ; *ecce venio.*" Patri suo cœlesti se paratum offert qua hostiam et oblationem perfectam pro salute hominum.

Ad cor quoque meum dicentem audio : Vide et intellige quanta pro te fecerim ! . . . ergo, *fili redde cor tuum mihi !* . .

Quin et ipsum præsepium et viles panni loquuntur et eruditunt nos, quod Filius Dei tantam paupertatem nostra causa elegerit, ut nos bonis cœlestibus divites efficeret.

Nonne juste ego excitabor ad fructum uberem inde capiendum, ut *sanctam paupertatem magni æstimem ;* et similia exempla imiter ? . . . Propterea et ego loquar : *ecce venio !* . .

Punct. iii.

Spectare et considerare ea quæ faciunt.

Considero durum iter, quod fecerunt, labores et ærumnas, quas tulerunt, ut Dominus in summa paupertate nasceretur : ac post tot labores, injurias, contumelias, tandem in cruce moreretur !

Et hæc *omnia propter me !* Quid *ego vicissim faciam ?*

Contemplor, quanto amore et solicitudine pia Mater blandum Puerulum pannis involvat et reclinet in præsepe ! . . . admiror lætum animum in tanta paupertate, derelictione, et tantis aëris injuriis ! . . .

Observo pia oscula et teneros amplexus. Considero fidem et ardentem amorem, cum plena resignatione in sanctam Dei voluntatem.

Tum oculos in divinum Infantem conjicio, quid ipse faciat ; nihil aliud adhuc facere potest, quam *patienter pati.*

Patri suo cœlesti honorem reddit, quem peccata nostra illi abstulerunt : Patri supplicat, ut velit reconciliari nobis ; Seipsum, qua hostiam, ad flagella et crucem paratum exhibet.

Tenellum Puerum *lacrymantem audio*, et causam lacrymarum considero : Hæc quidem lacrymæ verum hominem manifestant ; sed etiam magni mysterii sunt indicia ; sunt *lacrymæ amoris* erga nos, sicut olim super Lazarum : sunt etiam *lacrymæ doloris*, sicut quondam super Jerusalem propter excæcationem tot peccatorum, qui pro eo ut diligerent, odium reddunt pro dilectione.

Fructum capturus, meipsum examino : An ex oculis quoque meis lacrymæ profluunt *amoris* reciproci et *veri doloris*, de peccatis meis ? . . . an paratus sum abhorrere ab omnibus quæ mundus amat, et ea amplecti, quæ Rex meus sibi elegit ? . .

Cogitabo, quid loqui debeam *ad Deum Patrem*, qui ita me dilexit, ut Filium suum daret.

Ad *Deum Filium*, qui pro me homo factus, se mihi tradidit.

Ad *Virginem Matrem*, ut quæ Mater Dei sit et Mater rei ; ut me in filium recipiat.

Pater.—Ave—*Kempis ii. 7, et 8.*

DIES V. MEDITATIO II.

FUGA IN ÆGYPTUM.

Discimus Conformitatem in Voluntatem Dei.

Præludium I. Historia. Herodes iratus quod Magi non reverterentur Jerusalem, quærebat Puerum Jesum ad eum perdendum. Angelus Domini in somnis monet Sanctum Joseph ut fugiat in Ægyptum. (Matth. ii.)

Præludium II. Visu imaginationis durum illud et longum iter dimetiar: ac itineris molestias et pericula perpendam. Me sacræ familiæ comitem adjungam, omnimode paratum, si quod illi obsequium exhibere valeam.

Præludium III. Conformitatem hanc Sacræ Familiæ ad Dei monitum ego meditans, humiliter a Deo petam, ut ego pariter ad omnem circa me dispositionem acquiescens, me *divinæ Providentiæ committam.*

Punct. I.

Videre Personas.

Angustam illam domum in Nazareth mente speculor, ubi Sanctum Joseph super stramnia dormientem intueor. Angelus Domini, splendore circumfusus, subito illum excitat, eique arduum mandatum ex voluntate Dei communicat: "Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum."

Miram Dei erga Filium incarnatum et *electos suos providentiam* hic agnosco, atque *conformitatem et promptam obedientiam* Sancti Joseph admiror.—*Considero circumstantias*, quæ illud iter longe difficillimum, hinc obedientiam maxime meritoriam reddebant.

a) *Locus, quem jubentur deserere:* ipsa patria, ubi in sua paupertate ab amicis et cognatis levamen, auxilium ac multiplex solatium accipere potuissent.

b) *Tempus, quo hæc fuga* capienda et iter instituendum: frigida hieme, quo tempore viæ solent esse imperviæ, incertæ, periculis multis expositæ.

c) *Modus, quo* iter aggrediendum: De nocte e somno exci-

tatus Beatus Joseph mandatum accipit, surgendi sine mora ; nulla facta præparatione, accipiendi Puerum et Matrem ejus, et sine ullo vix viatico fugiendi in Ægyptum.

Hanc adeo promptam *resignationem in Dei voluntatem* in tantis difficultatibus ego considerans, cum iisdem difficultates confero, quæ in statu religioso solent accidere ; et convincor, omnes molestias in religiosa obedientia exiguas esse, si cum illa Beati Joseph obedientia comparentur.

Quare pudore suffundar, et divino Patri me paratum offeram, ut in omnibus sanctissimam ejus circa me voluntatem expleam.

Punct. II.

Attendere ad ea quæ faciunt.

Ad mandatum Angeli, "surgens de nocte Beatus Joseph accepit Puerum et Matrem ejus, et secessit in Ægygtum." Quin et B. Virgo et Puer, excusso somno, Joseph ceu capiti obediunt, fiducia in Dei providentiam pleni et corroborati.

Hic etiam *proprietates illius obedientiæ* considero : quam velociter et integre Beatus Joseph se divinæ huic ordinationi submittat !

a) *Prompta obedientia* in re adeo gravi atque difficili :

Nullas audio interrogationes : quare fugiendum ? quomodo iter adeo difficile aggrediendum ? . . . Nullas tergiversationes. Sufficit Beato Joseph mandatum accepisse ; hinc illico surgens, disponit se velociter et accipit Puerum et Matrem ejus.

b) *Cæca obedientia :* cum submissione intellectus. Nulla querela, nulla excusatio ; etiamsi justæ rationes conquerendi viderentur adferri posse : quare Filius Dei ab ira hominis fugiet ut vitam conservet ? Quare fuga capessenda in terram hostilem, in Ægyptum ? Nonne magis conveniens foret in Arabiam, in terram Magorum se recipere, ubi auxilium sperare potuissent ? . . .

c) *Voluntaria obedientia :* Beatus Joseph hilari animo mandatum exsequitur, quo Dei voluntatem cognitam habuit : "consurgens nocte accepit Puerum."

Multum abest ut a cognatis vel amicis levamen mendicet ; sed divinæ Providentiæ nixus, mandatum Dei, sicut acceperat, adimpleturus, alacer se committit itineri. . . .

Unum est, quod eos solatur, et stimulat : *portant secum Je-*

sum, quem iræ Herodis eripiant, et salvum tueantur. "Ipse enim est, qui salvet populum suum a peccatis eorum."

Jesum infantem in ulnis Matris, comite Beato Joseph, cum tanta resignatione noctu fugientem, ego contemplans, quantopere confundar ob meam tarditatem in adimplendis superiorum mandatis!

Quos nos non experimur quandoque angores, solicitudines, animi turbationes, querelas et murmurationes, si obedientia locum habitationis parum arridentem nobis assignat, aut munus imponit, quod minus placet? . . .

Serio desuper reflectam, ut uberem fructum colligam.

Punct. III.

Ut magis adhuc movear, ad simile exemplum promptæ et perfectæ conformitatis in Dei voluntatem æmulandum, rationes etiam considero, quæ efficaciter nos excitant, ut Dei ordinationibus ac sanctissimæ voluntati acquiescamus, permittentes nos regi sicut cadaver mortuum.

1. Si Deus ita graviter dilectos suos probat, et illis tanta discrimina afflictionesque immittit, ego quomodo audebo conqueri?

Hæc superiorum meorum *dispositio voluntatem Dei* mihi manifestat, qui omnia in bonum eorum dirigit, qui diligunt et obediunt. Hic locus habitationis meæ ex voluntate Dei mihi assignatus; hoc munus, Deo ita disponente, mihi impositum est; quis Dei ordinationi audeat resistere? . .

2. Quod ex Dei voluntate seu dispositione nobis injungitur faciendum, id semper *bonum nostrum* pro fine habet, nostramque perfectionem promovet.

Novit enim Deus, quid ad salutem nostram maxime prosit: —In manibus nos portat—est Pater amantissimus; ergo in sinu ejus, ejus voluntatem sequentes, tuto quiescamus.

3. Per adversitates, quas Deus iis solet immittere quos diligit, *occasionem illis præbet*, qua fidelitatem suam probent, et amorem manifestent.

Novit autem Dominus ex iis, quæ nobis mala videntur et adversa apparent, bonum eruere, et cum tentatione proventum facere.—Exemplum Josephi in Ægypto, a fratribus venditi, hanc singularem Dei providentiam demonstrat.

Ut *fructum inde capiam*, meipsum intueor atque examino: num similem promptitudinem ad Dei nutum—conformitatem ad Dei voluntatem—constantiam in exsecutione, et cæcam intellectus submissionem in me experior? . . .

Arguam me coram Domino et erubescam, atque firmiter statuam: Domine! si me vis esse in tenebris, sis benedictus; si me vis esse in luce, sis iterum benedictus; guberna sicut scis et vis, nam scio quod amator sis.

Colloquia cum *Jesu*, *Maria*, *Joseph*, ut hæc sancta conformitas juxta Dei beneplacitum mihi tribuatur.

Suscipe, Domine, universam libertatem meam; accipe memoriam, intellectum et voluntatem meam—quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es; hæc omnia Tibi restituo et me divinæ voluntati Tuæ trado gubernandum. Amorem Tui solum cum gratia mihi dones: et dives sum satis.

PATER—AVE—*Kempis i. 12.*

DIES V. MEDITATIO III.

VITA JESU CHRISTI ABSCONDITA.

Admirabilis ejus obedientia.

Jesus Christus, Filius æterni Patris, a Patre constitutus Rex, venit in mundum ut regnet in corde nostro.—

Huic Regi in sacro baptismate fidelitatem juravimus; omnes propterea homines, qui hæreditatem salutis capere volunt, ei adhærere, eumque imitari debent; ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste et pie vivant in hoc sæculo.—Qui Sacerdotes sunt, propius eum sequi tenentur.

At vero Nos, qua Religiosi, arcte nos obstrinximus, in sancta paupertate, castitate, obedientia Jesum sequi.

In hac meditatione *vitam Christi absconditam* sub obedientia meditamur, ut hanc præclaram virtutem ab eo ediscamus.

PRÆLUDIUM I. Postquam pii parentes post triduum Pue-

rum Jesum in Templo invenerant, descendit cum illis et venit in Nazareth, "*et erat subditus illis.*" (Lucæ ii.)

Præludium II. Angustum illud domicilium in Nazareth intuemur; ac potissimum oculos mentis in Jesum, Dei et Mariæ filium, convertimus, ut ediscamus, quomodo hic (cujus Divinitas latebat in vili opificio perfectam obedientiam exerceret.

Præludium III. Humiliter Deum rogamus, ut hanc Filii Dei humilitatem et obedientiam meditantes, valorem harum virtutum agnoscamus, et stimulemur, ut Regem nostrum in admirabili *sua obedientia* studiose sectemur.

Punct. I.

Videre Personas.

Personam Domini mei Jesu Christi in domo suorum Parentum in Nazareth pia mente contemplor, eumque occupatum video, qui patri suo nutritio in officina fabri lignarii, omnimodum obsequium et adjutorium ferebat.

Multiplicem fructum ex hoc obedientiæ exemplo colligere intendo, ac felicitatem animæ cognoscere, quæ similem vitam absconditam cordi habet.—Quare verba sancti Evangelii: "*Erat subditus illis,*" attente perpendo.

Quis erat subditus? Jesus Christus, Filius Dei, Patri consubstantialis, qui venit in mundum, ut obedientiam nos doceret, hujusque virtutis exemplum relinqueret, usque ad trigesimum annum vitæ suæ erat subditus illis.

Quam admirabile exemplum! . . . quantum pro nobis incitamentum, ut adeo præclara æmulemur charismata! . . .

Quibus Jesus erat subditus?

a) Patri suo cœlesti quam exactissime obtemperabat; aiebat: "in iis, quæ Patris mei sunt oportet me esse—Ego quæ Patris mei sunt facio semper."

b) Sed et suis parentibus perfectam obedientiam exhibebat: Erant illi sancti præpositi, quos ut Patris sui cœlestis vicarios agnoscebat, et quorum mandata, tanquam Patris sui expressam voluntatem, venerabatur.

Quomodo hic Dei Filius, suis parentibus perfecte subditus, illis obedientiam præstabat?—quam sunt admirabiles characteres hujus obedientiæ! . . .

a) *Velox obedientia in executione operis*, quod imponebatur, etiam in vili opificio adjutorium præbens Sancto Joseph.

b) *Obedientia cum sacrificio voluntatis;* unde lubenti animo, cum gaudio id faciebat quod jussum fuerat.

c) *Obedientia cum submissione intellectus*, propterea quod in omnibus mandatis, sui Patris cœlestis voluntatem inesse intelligeret, quæ hoc intuitu adeo prompte et alacriter adimplebat.

Mea obedientia an ejusmodi proprietates præ se fert?

An velox et *prompta in executione* operis? . . .

An lubens et *hilaris in assensu voluntatis?* . . .

An conformis, etiam *cum submissione intellectus?* . . . Quam multa hic invenio, de quibus dolere juste teneor! Quæ nova proposita a me facienda sunt? . . .

Punct. II.

Ipsa opera obedientiæ et difficultates considero.

Quo major *difficultas superanda* in opere obedientiæ, tanto fit illustrior obedientia et magis meritoria.

Oculos in Personam Jesu Christi converto et difficultates, quas superavit, perpendo. . . . Inde agnoscam, qnam injuste ego me ab obedientia velim eximere ob difficultates, quæ mihi superandæ sunt.

a) Præcipua difficultas, quæ obedientiam solet gravem efficere, ex *nostro amore proprio* et defectu humilitatis exoritur. Opus seu munus, quod nobis adjungitur, *nimis parvum—parum honorificum* apparet, non conforme talentis et dotibus, quas multo labore acquisivimus . . . . alii minus idonei nobis præferuntur.

Intuere et considera Dominum Jesum Christum in officina patris sui in Nazareth: Ipse, qui est sapientia a Deo! in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei! non vile seu *parvum existimat*, labore manuum occupari in officina fabri lignarii.

b) Alia difficultas in exsequenda obedientia *in natura operis* consistit, quod injungitur. In religiosa communitate opera quandoque imponuntur, quæ cum propensione nostra parum concordant, imo *naturæ nostræ adversantur;*—quæ prorsus *inutilia esse* videntur—quæ *nimis diu exercenda* jubentur.

Intuere Jesum Christum et agnosce : Nonne res ardua fuit, nasci in stabulo—nocte, media hieme, fugere in Ægyptum—in vili opificio dies agere?—An naturæ gratum, per triginta annos latere? . . .

In his omnibus plenam et perfectam obedientiam Rex meus et Dominus Jesus Christus exercuit, ut voluntatem sui Patris semper faceret.

Quam longe diversa et levior est obedientia, quæ mihi injungitur! Quam dignum et justum, ut et ego omnes difficultates coner superare! . . .

Propterea, ut tanto lubentius ad omnem obedientiam me præcingam, fructus perpendo, quos illa solet progignere :

1. Opera ex obedientia facta, utcumque exigua sint, valorem coram Deo acquirunt, ut mercedem magnam ferant.

2. Inde cordis gaudium et pacem conscientiæ obtineo, quia certus efficior, quod juxta voluntatem Dei egerim.

3. Talis anima ob promptam obedientiam brevi tempore ad sanctitatem pervenit ; in eo enim sanctitas consistit, ut semper in omni re voluntatem Dei faciamus.

In hac fide, fiducia et spe *cum Deo colloquium faciens*, votum meum obedientiæ innovabo, auxilium implorans Jesu, Mariæ et B. Joseph, ut pro me intercedant.

Pater—Ave—*Kempis iii. 13.*

DIES VI. MEDITATIO I.

VITA JESU CHRISTI ACTIVA.

Zelus ejus, Mansuetudo, Charitas.

Ad evocationem Regis æterni, in sui sequelam eo nos inclinavimus, ut vires omnes impendamus, quo similes illi evadere possimus ; abnegantes nos, et *naturæ vim facientes.*

In hac meditatione contemplamur Jesum in vita sua activa.

Præludium I. Visu mentis intueri Dominum nostrum Jesum Christum, quomodo totam Galilæam et Judæam pera-

grando, ubique prædicat, benefaciens, plenus zelo pro gloria Patris sui, et accensus charitate proximi.

Præludium II. Gratiam humiliter petere, ut Regem nostrum cognoscentes, ejusque invitationem sponte sequentes, exemplum *zeli ejus*, *mansuetudinis* et *charitatis* impigre imitemur.

Punct. I.

Oculos mentis meæ in Jesum Christum Regem meum converto, quem Pater cœlestis constituit regem et hæredem universorum, cui omnis creatura subesse et obedire tenetur.

Exemplum intueor *zeli ejus* et *activæ charitatis* ad salvandas animas, ut quemadmodum ipse fecit, ita et nos faciamus.

Tum difficultates perlustro, et varia obstacula, quæ in prædicatione fortiter superavit.

1. *Zelus* Jesu Christi *indefessus.*

a) Zelus *indefessus in orando* pro salute animarum. Jesus Christus qua mediator inter Deum Patrem suum et homines, sine intermissione orabat, ut converterentur corda filiorum ad Patrem. "Erat pernoctans in oratione; preces fundebat cum lacrymis et clamore valido," ut iram Patris ab hominibus averteret.

Taliter oportet et nos, qui legatione fungimur pro Christo, preces fundamus, ut corda filiorum convertantur ad Patrem; orantes pro invicem, ut salvemur.

b) Zelus Jesu Christi *indefessus in laborando.*

Per tres annos, quos evangelizando transegit, in continuis laboribus erat, totam Galilæam et Judæam peragrans. Etiam nocturno tempore, quo Nicodemus ad eum accessit, se ad omne obsequium paratum exhibuit.—Defatigatus, cum ad puteum sederet, ad peccatricem convertendam laborabat. Recte Propheta de Jesu: "Zelus domus tuæ comedit me."

Tale desiderium etiam nos animare deberet, ut pro gloria Dei et salute animarum indefessum laborem impenderemus.

2. Zelus Jesu Christi *purus in intentione.*

Non gloriam suam aut plausus hominum; non aliquod privatum commodum aut emolumentum; sed unice quærebat gloriam Patris sui et salutem animarum, quærens salvum facere, quod perierat. "Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare." Ex flagrantissima charitate erga Deum et

homines, omnes suas actiones dirigebat. In pauperibus evangelizandis potissimum zelum impendebat.

Nisi fuerit purus zelus noster; si proprium commodum, aut hominum applausum in operibus zeli quærimus, in vanum et cassum vertitur zelus noster.

3. Zelus Jesu Christi *mansuetudine* et *charitate plenus*.

In veritate dicebat: "Discite a me, quia mitis sum et humilis corde." Admirabili charitate et mansuetudine defectus discipulorum suorum ferebat: docebat ignorantes, errantes corrigebat, solabatur afflictos; in quacumque eorum indigentia semper illis præsto erat.

An ego ejusmodi zelo pro gloria Dei ducor, ad animarum salutem in charitate, mansuetudine et patientia officia mea adimplens? quid faciam imposterum? . . . "Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur." . . .

Punct. II.

4. Zelus Jesu Christi *fortis in superandis difficultatibus*.

In operibus zeli multi humani respectus vincendi sunt, difficultates superandæ, sæpe etiam calumniæ perferendæ. Nisi fuerit zelus noster purus et fervens, facile deterrebimur ab opere incœpto cum detrimento gloriæ Dei, et salutis proximi nostri.

Multas et gravissimas difficultates in prædicatione Evangelii zelus Jesu Christi fortis et ardens superavit.

a) Difficultas in eo, quod cum talibus agendum et conversandum illi erat, qui aut nullum, aut vix ullum fructum ex doctrina et prædicatione ejus capiebant.

b) Qui odio et invidia succensi, opera et doctrinam ejus in perversam partem interpretabantur—et volentes eum capere in sermone, inimicitias in corde suo fovebant.

c) Difficultas, quoniam cum iis conversatio ejus, qui opera ejus bona et miracula quæ patrabat nolebant agnoscere, fictis calumniis eum appetebant, et ludibrio eum habentes, dicebant, in nomine Beelzebub miracula patrare.

Tantis difficultatibus et calumniis minime deterritus Jesus Christus, eodem firmissimo zelo, opus, a Patre suo sibi de-

mandatum, adimplere non cessabat. . . . Etiam ad mortem quæsitus, castella et civitates peragrare non omittebat.

Ubique pertransiens, omnibus benefacere, erga omnes, Juda proditore non excepto, se affabilem exhibere, semper intendebat; non alium scopum præ se ferens, quam homines edocere, viam salutis eis ostendere, peccatores ad pœnitentiam convertere—omnes ab interitu liberare.

Plenus bonitate et dilectione, ignorantes suscipit et instruit. Cum simplicibus sermocinatio ejus.

Parvulos ad se trahens, inquit: "Sinite parvulos et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum cœlorum."

Peccatores nequaquam spernit, aut a se repellit; imo potius illos, sicut Bonus Pastor errantem oviculam, quærit, ad pœnitentiam invitat, in gratiam suscipit.

Quam fortis, O Jesu, et ardens hic Tuus zelus est! Tua dilectio quam amabilis! . . . Zelus meus quam est debilis et frigidus in operibus charitatis! . . .

Sub vexillo Ducis mei Jesu Christi, juravi ac spopondi me vestigia ejus secuturum, ut similis ei evadam, et veste ejus induar.

Quantopere doleam oportet, eo quod in me experiar, me tam procul a zelo et charitate Jesu Christi distare.

Quia vero hæc sacra Exercitia singularis gratiæ donum sunt, ut renovemur spiritu mentis nostræ; propterea novum et firmum propositum emendationis faciam.

O Domine Rex meus et Deus meus! Ego . . . . impulsus desiderio Tibi serviendi, et vocatus ad sanctum Sacerdotium, ut prope Te sequar, et animas pretioso Tuo sanguine redemptas lucrifaciam;—Te suppliciter exoro, ut novum zelum mihi largiaris, et novo fervore ducar ad explendum injunctum mihi ministerium; ut in charitate, mansuetudine et patientia sequar vestigia Tua!

PATER—AVE—*Kempis iii. 6.*

DIES VI. MEDITATIO II.

DE DUOBUS VEXILLIS.

In meditatione *de regno Christi*, S. Ignatius nobis Jesum Christum qua Regem exhibet et Ducem, qui omnes homines (*in communi*) exhortatur et invitat, ut ipsum sequentes, certamen ineant contra capitalem hostem Dei et hominum—contra regnum peccati—contra carnem, mundum et diabolum. —Ostendit nobis *certitudinem victoriæ*, *triumphi gloriam*. Sed simul *conditiones* explicat, sub quibus ad castra Jesu Christi admittamur.

In præsente meditatione *de duobus Vexillis*, S. Ignatius magis *in particulari* agit : in *quibus rebus sequi* oporteat ; ut ii, qui jam firmiter secum statuerunt belli expeditionem suscipere, arma (quoad vitæ statum eligendum seu perficiendum) arripiant, et quidquid constiterit, sub Duce Jesu Christo dimicent.

Illos potissimum adhortatur, qui volunt *se exhibere insignes ;* eosque jam quasi in aciem contra hostes collocat. Detegit *hostium molimina ;* præsertim ad eorum stratagemata et *fraudes* attentos facit. Sed et ex altera parte speciem et modum certaminis optimi Ducis Jesu Christi eos edocet.

Meditatio duo puncta complectitur :

I. Invitatio Luciferi sub suum Vexillum.—II. Invitatio Jesu Christi.

Oratio præparatoria solita.

Præludium I. Erit historica consideratio Christi Domini ex una parte ; ex altera parte Luciferi ; quorum uterque vexillum suum expandit, omnesque homines, ut sub illo congregentur, invitat.

Præludium II. Est compositio loci : ut nobis præsentemus campum amplissimum in amœno loco prope Jerusalem, ubi summus Dux bonorum, Jesus Christus, assistit.

Alterum quoque campum nobis præsentemus prope Babylon, ubi se Lucifer, malorum et adversariorum ducem exhibet.

Præludium III. Humiliter Deum rogare, ut rite cognoscamus et exploratas habeamus *fraudes mali ducis ;* ut etiam gratiam nobis elargiatur, ad eas vitandas et superandas. Ut

pariter optimi Ducis, *Jesu Christi*, *mores* et vitæ rationem probe sciamus, et muniamur gratia ad illum imitandum.

Punct. 1.

1. Imaginor mihi et visu mentis meæ intueor—in campo lato et aperto *prope Babylon*, caput inimicorum, superbia inflatum Luciferum. . . . Nomen ejus, pater mendacii—adversarius noster—princeps tenebrarum. Video eum sedentem in *cathedra ignis et fumi—horribilem figura—vultu terribilem.*

Causæ, quæ illum movent, ut tanto molimine, sub specie amici, omnes homines sub suum vexillum congregare intendat, sunt:

a) Odium et ira in Deum; veluti vindictam sumens, quod a Deo de cœlo in barathrum abyssi fuerit detrusus. Propterea impedire conatur, ne Deus ab hominibus laudetur, ametur et Nomen Ejus invocetur, ne voluntas Dei impleatur.

b) Odium implacabile et invidia contra nos homines. Novit, quod gloria in cœlo et possessio, unde ipse culpa sua excidit, nunc nobis hominibus parata maneat. Propterea omnes homines inducere conatur, ut et ipsi mandata Dei transgrediantur, et ita ad illum beatum finem non perveniant.

Præter has causas, quibus movetur Lucifer, singulariter considero *characterem ejus*, seu proprietates:

Cathedram suam erigit *prope Babylon*, quod interpretatur *confusio*, perturbatio; intendit nimirum, in quamlibet animam —familiam—communitatem religiosam confusionem, perturbationem inducere et causare.

Est *cathedra ex igne et fumo*, quo cuncta absque quiete moventur, sine firmitate persistunt, et tenebris involvuntur.

Vultus et *aspectus ejus terribilis*, horrorem causat et terrorem: Inde *horror et nausea* ab omni opere bono pro salute animæ, et pro gloria Dei procuranda:—*Terror, qui cæcitatem* causat, unde peccator inquietus evadit et seria reflexione privatur!

Nonne forsitan ego ejusmodi perturbationes expertus sum, dum, peccando, ad castra Luciferi me temerarie recepi? . . .

2. Secundum est advertere ad *evolutiones Luciferi* ejusque stratagemata, quomodo innumeros dæmones in omnem terram spargat, illos in omnem civitatem, inter omnes classes homi-

num et ad quemlibet in singulari, indefessa industria et labore emittens.

3. Tertium est attendere et audire, *cujusmodi concionem* Lucifer ad emissarios suos habeat, quos serio admonet et edocet, ut *fraudulenter* incautos in *sua retia capiant ;*—Tum laqueos et *catenas correptis injiciant.*—Nimirum : Tentent eos primo et alliciant *cupiditate divitiarum* . . . . (ad ea alliciant, quæ per se indifferentia, sine peccato fieri possunt). Inde postea facilius in mundani *honoris ambitionem ;* tum demum in *superbiæ barathrum* deturbari queant.

Atque ita, ut primus tentationum gradus sit *divitiarum ;* secundus *honorum ;* tertius *superbiæ.* Et ex istis tribus gradibus inducit Lucifer homines ad omnia reliqua vitia.

Ab insidiis hisce diaboli libera nos Domine ! . . .

Punct. II.

1. Similiter ex opposito imaginamur nobis et intuemur summum et verum Ducem nostrum, Christum Dominum, in amplo et peramœno campo *prope Jerosolymam*, speciosum forma, et aspectu summe amabilem. Nomen ejus Emmanuel, Deus nobiscum : Admirabilis, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

Rationes, quæ illum movent, ut omnes homines sub suum vexillum invitet et congreget, sunt :

a) Amor erga Patrem suum cœlestem, cupiens, omnes homines salvos facere, ut in agnitionem Dei veri perveniant, eum adorent, ei serviant, et salvi fiant.

b) Amor erga nos homines : propter nos homines descendit de cœlo ; dilexit nos, et tradidit se ipsum pro nobis.

Characterem Jesu Christi considero ; Vexillum suum erigit *prope Jerusalem*, quod est visio pacis. *Speciosus forma*, in valle humili, *mitis et humilis* corde, medius manet inter suos, *Princeps pacis.* Ordo regnat in omni motione ejus.

Quale gaudium tali Duci adhærere, eum prope sequi !

2. Etiam ipse Dominus noster eligit sibi discipulos, quos mittit per universum mundum, qui omni hominum generi, statui et conditioni doctrinam salutiferam prædicent et impertiant.

3. Audiamus *quoque concionem*, quam Christus Dominus

ad discipulos, quos ad hoc opus salutis destinat, habet; illos amice exhortans, ut quemlibet juvare studeant, amore Dei et proximi succensi; atque adducendum curent primo ad *spiritualem paupertatem* (vel etiam actualem, si suæ divinæ Majestati placuerit). Secundo, ad *desiderium opprobrii* et *contemptus* alliciant; unde tertio, *humilitatis* virtus enascitur.

Ita ut sint tres gradus: primus, paupertas contra divitias; secundus, opprobrium vel contemptus contra honorem mundanum; tertius, humilitas contra superbiam: et ex his tribus gradibus inducant homines ad omnes reliquas virtutes.

Finis horum est vita æterna: Lucifer autem certo perducit ad æternam perniciem.

Hæc ego meditans, intimo affectu dicam: "Præcedat Dominus meus ante servum suum, et ego sequar paullatim vestigia ejus."

Colloquium faciam ad *Dominam nostram*, ut mihi obtineat gratiam a Filio suo, ut ego recipiar sub ejus vexillum, sequens eum primum, in *sancta paupertate;* secundo, in tolerandis *opprobriis et injuriis* ut ejus humilitatem magis imiter. Terminatur hoc colloquium recitando: AVE MARIA.

Colloquium secundum *ad Christum Dominum* dirigam, ut illos tres gradus mihi a Patre suo benigne impetret. Terminatur hoc colloquium dicendo: ANIMA CHRISTI.

Colloquium tertium: petere eadem a Patre ut ipse ea mihi clementer concedat—et dicere: PATER NOSTER.

Thomas a Kempis iii. 18.

DIES VI. MEDITATIO III.

DE TRIBUS HOMINUM CLASSIBUS, UT AMPLECTAMUR OPTIMUM.

Firmissimo proposito statuimus, Regi nostro Jesu Christo adhærere ; in laboribus, et iis omnibus, quæ ipse sibi elegit, prope eum sequi.—Scopus hujus meditationis erit, ut *actu et in opere* id amplectamur, quod Rex noster amplexus est ; voluntatem nostram in iis rebus, quæ *naturæ sensuali adversantur*, heroice vincentes ;—ut sciamus, perfectionem nostram in *solis desideriis* nequaquam consistere.

Præludium I. Vice historiæ, tres hominum classes sibi fingere, quarum unaquæque decem millia aureorum, lucri potius quam *salutis suæ studio*, sibi comparavit.—Nunc singulæ animam suam salvare cupientes, noxium *rei partæ affectum*, utpote salutis æternæ impedimentum, excutere, et Deum sibi placatum habere, vellent.

Præludium II. Locum mihi imaginor, in quo meipsum video stantem coram Deo et omnibus Sanctis ejus, eo animo, ut cognoscam et desiderem id, quod *gratius divinæ bonitati* fuerit.

Præludium III. Humiliter gratiam petam, ut id eligam, quod et Deo ad gloriam suæ divinæ Majestatis acceptissimum, et saluti animæ meæ maxime proficuum erit.

Punct. I.

Prima classis *optat quidem*, illius rei acquisitæ *affectum* excutere, ut Deum suum in pace inveniat, et animam suam salvare possit, ac eo pondere se liberet :—sed *solis desideriis* contenta, *debita media* seu adminicula, usque ad horam mortis non adhibet.

Id idem cogitare licet de ægroto, qui desiderio quidem flagrat sanitatis recuperandæ ; sed *totus hæret in desiderio*, quin ullum remedium, quo morbus tolli, et sanitas recuperari possit, adhibere et uti velit.

Ab ejusmodi ægroto, *sanitatis quidem cupidissimo*, sed semper in eodem statu afflicto permanente, converto me ad cellam personæ religiosæ, Deo consecratæ, quam lethali *morbo tepiditatis* oppressam et afflictam video.

Novit illa lethale periculum suæ infirmitatis, et merito timet, ne spernens modica in graviora decidat et pereat. Cupit salvari, pacem cum Deo habere ; *desiderat* ab hoc morbo animæ liberari, et ad pristinum fervorem reverti.

Sed debita adminicula adhibere ; media salutis in regulis præscripta applicare, continuo negligit. Nil cordi habet : *coram Deo ambulare :* ad *orationem* cum devotione *incumbere : silentium* et *solitudinem* servare : ad opera quotidiana bonam *intentionem præmittere : Sensus suos* et *linguam* custodire : *amorem proprium* et voluntatem suam *mortificare*. . . . Pacem animæ desiderat ; sed media non adhibens, *in sua tepiditate* perdurat.

Væ tali animæ religiosæ ! Infirmitas ejus ad mortem est.

a) Talis tepida voluntas et sterile desiderium ordinarie lapsum in gravia peccata causat. "Terra frequenti rore imbuta, non ferens fructum, maledictioni proxima est."

b) Deus singulares suas gratias tali animæ ingratæ auferre solet, in æternam ejus perniciem. "Videns Dominus in ficulnea folia tantum, maledixit arbori et jussit exscindi ut in ignem mittatur."

Ut fructum capiam, memetipsum ante faciem Domini considero et examino : nonne forsitan ipsemet ego talis ægrotus sum, *ejusmodi tepiditate* oppressus et afflictus ? . . .

Nonne fors Dominus in me, tanquam ficulnea, quærens fructus, folia tantum inveniet, unde maledictio foret timenda : "exscinde illam, ad quid locum occupat ?" . . .

O Domine, miserere mei ! patientiam habe in me et omnia reddam Tibi ! Fac Domine ut videam, ut infirmitatem meam cognoscam, et media solerter adhibeam.

Punct. II.

Secunda classis pariter desiderat et *vult affectum* male ordinatum erga rem acquisitam tollere : ut pacem cum Deo inveniat, et animam suam salvet ; atque parata est, *aliqua adminicula* in hunc finem adhibere.

Attamen rem ipsam partam omni modo tenere, ac Deum potius ad hoc trahere exoptat, *ut ei hæc sola voluntas placeat*, ac sufficiat ; nec teneatur ad rem partam relinquendam, etiamsi hic status sibi optimus esset,

Ejusmodi classis persona Deo dicata, gravi morbo tepiditatis oppressa, aliquam quidem voluntatem tendendi ad perfectionem habet; sed non est *voluntas fortis* et *universalis*: rem in crastinum continuo differre cuperet: remedia quidem aliqua ad morbum tollendum, sed non satis efficacia, non quæ *amara sunt* et *naturæ adversantia*, vult adhibere: *Derelictiones*, *humiliationes*, aut *passiones*, quæ adsunt cum resignatione tolerare, ad hæc se decidere minime potest.

Talis anima, bonæ quidem, sed non efficacis voluntatis, deploranda est.

a) Vitam agit sine solatio—onus sanctæ obedientiæ illi grave accidit; et cum seipsam vincere, proprium amorem et voluntatem frangere negligat, conversatio ejus immitis est, et lingua sæpe lædens fraternam charitatem, aspera manet.

b) In via perfectionis vix ullum progressum facit: neque Deum erga se liberalem experitur, eo quod ipsa erga Deum minus liberalem se exhibeat.

c) Talis anima potissimum fructum sacrorum exercitiorum amittet; nec umquam ad gradum illum perfectionis, ad quem a Deo gratiose vocata est, pertinget.

Ut fructum capiam, me ipsum inspiciam et examinabo, ut sciam, *quid mihi desit;* et serio statuam id amplecti, quod ad salutem meam optimum est.

Punct. III.

Tertia classis eorum est, qui se totos ingenue, sine ulla restrictione, *Deo tradere intendunt*. Non solum *vult affectum* ad rem partam tollere, sed æque parata est, ad rem ipsam *vel retinendam* vel *non retinendam*, prout ad servitium et laudem divinæ Majestatis, et animæ suæ lucrum magis proderit.

Omnes vires intendere cupit, ut nihil aliud velit et faciat, quam quod Dei servitium exigit, *solo impulsa desiderio* Deo placendi, et ejus sanctam voluntatem exsequendi.

Talis anima sacrificium perfectum *suiipsius Deo* offerre conatur. Et etiamsi *naturæ arduum* et *contrarium accidat*, potius tamen statum *paupertatis*, quam *divitiarum—abjectionis* et *humilitatis*, quam *honorum*—cupit eligere, ut Regi suo inter eos, qui *volunt se eminentes exhibere*, similis fiat.

Felix anima, quæ certa via ad perfectionem tendit, eamque consequetur.

a) Generoso animo statuit, propriam voluntatem et passionem dominantem frangere, seipsam abnegare, crucem post Jesum ferre, quemcumque durum laborem assumere, afflictiones perpeti.—Cum S. Theresia: Domine, ait, aut pati aut mori. Cum S. Augustino: Domine, hic ure, hic seca, hic nihil parcas! . . .

b) Talis anima secure ad unionem cum Deo pertingit, qui ait: "Ad eam veniemus et mansionem apud illam faciemus."

c) Peculiares gratias a Deo impetrat: pacem et gaudium cordis—pietatem et familiare cum Deo in oratione consortium. Jam in hac vita centuplum, et vitam æternam obtinebit.

Triplici colloquio, sicut in contemplatione de duobus vexillis, meditationem terminemus.

Ad B. Virginem, ut gratiam mihi a Filio suo, Domino nostro, obtineat, ut ad hanc tertiam classem tendam et perveniam. AVE MARIA!

Ad Dominum nostrum Jesum Christum ut id mihi a Patre obtineat. ANIMA CHRISTI.

Ad Patrem cœlestem, ut ea mihi per intercessionem Jesu et Mariæ benigne concedat. PATER NOSTER.

Thomas a Kempis iii. 25.

DIES VII. MEDITATIO I.

PASSIO INTERNA JESU CHRISTI.—*Ejus derelictio.*

Tristis est anima mea usque ad mortem.—*Matth. xxvi.*

III. Hebdomada. *Schola sanctæ Crucis.*

Quantum quis amore sui ipsius, et proprii commodi affectione sese exuerit, tanto majorem profectum in omnibus rebus spiritualibus faciet. (S. Ignat.)—*Victoria sui* est finis proximus exercitiorum. *Gloria Dei* et propria *salus* finis ultimus.

PRÆLUDIUM I. Historia: Quomodo Christus Dominus noster, peracta cœna, per vallem Josaphat ad hortum Oliveti se recipit; relinquens octo ex discipulis in una parte vallis, tres secum in hortum assumit. Ibi procidens in faciem suam et orans, sudat sudorem sicut guttas sanguinis.

PRÆLUDIUM II. Considerare viam a monte Sion ad vallem Josaphat et similiter hortum. Ejus situm, latitudinem, longitudinem et figuram sibi imaginari.

PRÆLUDIUM III. Humiliter petere, hic cum Jesu compati; ut dolorem cum Christo sentiam doloribus pleno usque ad mortem. Ut ejus *derelictionem* et *tristitiam*, quam pro me patitur, agnoscam, et desuper lacrymas fundam.

PUNCT. I.

Videre Personas et audire Verba.

a) Oculos mentis meæ in divinum Salvatorem conjicio, Eumque in via ex cœnaculo ad hortum lento passu procedentem intueor, *peccatis onustum totius mundi*, quæ volens in se suscepit;—pro quibus ut satisfaciat, seipsum Deo Patri in sacrificium offerens.—Nunc hora advenit.

b) Hic etiam ipsa *mea peccata* video, et dolens considero, quantopere illa onus aggravaverint, quo divinus Salvator se oppressum sensit. . . .

Video, quomodo Jesus profunde ad terram prostratus, dein manus ad cœlum attollens, ad Patrem oret.

Video, quomodo *sudor sanguineus* sanctam ejus faciem contegat, ut inde guttæ sanguinis in terram profluant.

Ad hæc animadverto, quomodo discipuli, quorum oculi præ tristitia gravati erant, dormiant. Judas non dormit.

Fructum capiam commiserationis de tanta derelictione Domini mei.—Et ingentem *dolorem de peccatis meis* concipiam.

c) Verba audio, quæ divinus Salvator ad discipulos suos loquitur: "Non potestis una hora vigilare mecum?" . . .

Etiam mœrorem animæ suæ audio manifestantem: Tristis est anima mea usque ad mortem."

Divinitas ejus se abscondit, ut integram amaritudinem, internæ hujus passionis sentire possit.—Inde tam humili oratione Patri suo supplicat: "Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste, ut non bibam illum."

Quanta tristitia, quæ *derelictio!* . . . apud Patrem non invenit misericordiam, ut exaudiatur.

Iterum, et tertio Jesus orat ad Patrem, eumdem sermonem dicens. . . . *Quanta perseverantia* in oratione! . . .

Tertio autem addit; "Pater, non mea, sed tua voluntas fiat!" . . . *Quanta sui ipsius oblatio!* . . .

Descendit Angelus de cœlo confortans eum.

Ut *fructum inde capiam*, considerabo, quod status afflictionis et derelictionis nos Regi nostro Jesu Christo similes faciat, atque propterea magni meriti esse debeat. (Regnum Christi.) Itaque in omni angustia, mœrore et afflictione, cum fiducia sperans in Domino, cum plena resignatione dicam: "Pater, non mea, sed tua voluntas fiat!" . . .

Punct. II.

Opera considerare et causas internæ passionis.

Quis ille est, cujus anima tristatur usque ad mortem?

Est Jesus Christus, Filius Dei vivi, consubstantialis Patri. Ille est, qui juxta naturam divinam in gloria est Patris sui, ante cujus oculos nihil absconditum esse potest.

Quomodo patitur? Divinitas se occultat—patitur ut purus homo, qui peccata nostra in se suscepit. Volens patitur, qui inimicos suos facile destruere potuisset. Pro nobis patitur, ut culpas nostras delens, suo Patri nos reconciliet.

Quid patitur Jesus in illo horto Gethsemani?

Tædium—Timor mortis—Tristitia, tres potissimæ causæ sunt, quæ sanguineum hunc sudorem exprimunt.

a) *Tædium.* Jesus Christus se vadem pro peccatis nostris obtulerat; inde Pater cœlestis posuit in eum peccata totius mundi.

Novit Jesus, quanta sit malitia et fœditas cujuslibet gravis peccati: nunc se tantorum peccatorum pondere onustum sentit; inde anima ejus *tædio afficitur* et completur horrore: hinc Patri supplicat: "Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste, ne bibam illum!" . . .

Quam justum, ut ego de peccatis meis ingentem dolorem concipiam!

b) *Timor mortis* altera causa est hujus internæ passionis:

Qua Deus omniscius, novit Jesus et prævidet totam seriem acerbissimæ suæ passionis et opprobriorum: diram flagellationem, coronationem spineam, bajulationem crucis et crucifixionem.

Natura humana ea aversatur, et vehementer abhorret. Inde horror *et timor mortis*, qui sudorem sanguineum causat. Jesus orat iterum: Pater si possibile est, transeat a me calix iste!..

Quid sunt passiones nostræ cum tali agonia comparatæ?..

c) Tertia causa illius sanguinei sudoris est acerbissima *tristitia*, qua completur anima Jesu usque ad mortem.

Dilexit nos, et propter nimiam suam charitatem tradidit se in mortem tanquam sacrificium reconciliationis.

Nunc vero, qua Deus omniscius, novit, pretiosum suum sanguinem pro multis frustra profusum iri. Cogitatio hæc: "*Quæ utilitas in sanguine meo?*" amarissimam tristitiam illi causat, et sanguineum sudorem provocat.

Tertio, eumdem sermonem dicens, orat: "Pater si possibile est, aufer a me calicem istum." Sed se totum in Patris sui voluntatem tradens, mox subjungit: "Verumtamen non mea, Pater! sed tua voluntas fiat."

Fructus Meditationis.

Ergo Rex meus, cui honor et corona gloriæ competit, ex amore erga nos homines, *profundissimam tristitiam* et statum *derelictionis* sibi elegit, quia noverat, hanc esse voluntatem Patris sui. Numquid non dignum et justum est, ut ego pariter, qui statui Jesum cominus sequi, in omni afflictione me Deo tradam et voluntatem ejus impleam?

Ejusmodi status afflictionis et derelictionis ingens emolumentum animæ solet progignere:

Dum consolamur, *donum a Deo* accipimus, qui consolatur nos; dum patimur et tribulamur, *nos Deo sacrificium* ferimus.

In omni derelictione nostra sæpe ad Deum cum humilitate confugiamus: hæc certissima via est, quæ nos cum Deo conjungit, atque ad amorem perfectum perducit.

Colloquium cum Jesu afflicto usque ad mortem. Illi compatiamur—solamen illi adferre satagamus. De peccatis nostris, quæ tanti doloris causa sunt, doleamus. Ad patiendum cum Jesu paratos nos exhibeamus.

ANIMA CHRISTI—*Kempis iii. 50.*

DIES VII. MEDITATIO II.

CONTEMPLATIO JESU CRUCIFIXI.

Vita Jesu Christi continua crux fuit et martyrium. In nativitate sua exemplum nobis dedit *extremæ paupertatis*: in vita abscondita exemplum reliquit *perfectæ obedientiæ*: in cruce, ex amore pro nobis moriens, cor nostrum reciproco *amore inflammat*, et desiderio nos animat, crucem post eum ferendi; ut gloriæ, quam ipse per crucem promeruit, participes evadamus.

Ad pedes crucifixi hanc contemplationem peragimus.

PRÆLUDIUM I. Historia. Postquam sententia mortis prolata fuit, divinus Salvator, "bajulans sibi crucem pervenit in eum, qui dicitur Calvariæ locum." Ibi crucifixerunt eum. (Joan xix.)

PRÆLUDIUM II. Visu imaginationis montem illum Calvariæ intueor.—Circumcirca turbam hominum, et divinum Salvatorem cruci affixum video, inter cœlum et terram elevatum.

PRÆLUDIUM III. Humillime Deum rogo *intimam compassionem* cum crucifixo Salvatore meo: sed et *ingentem dolorem* de peccatis meis, quæ tantæ passionis causa sunt.

Punct. 1.

Videre Personas.

Oculos mentis meæ converto ad Jesum Salvatorem meum, inter duos latrones in cruce pendentem, cum iniquis reputatum : a perfida plebe, prope Jerusalem, circa festum solemne paschatis, opprobriis saturatum.

Video et animadverto : "a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas ;" nec membrum in illo videtur, quod non sit vulneribus saucium.

"O vos omnes, qui transitis per viam hanc ; videte si est dolor, sicut dolor ille."

Video illud caput divinum et faciem, in quam Angeli desiderant aspicere, spinis acutis undequaque perforatum.

Oculos intueor sanguine perfusos—genas tumidas ob alapas —humeros, a bajulatione crucis, largo vulnere saucios—totum corpus plenum vulneribus in cruce expansum—manus pedesque clavis perforatos, cruci affixos !

Video, quomodo pectus illud divinum præ amore ardeat ; quomodo caput inclinatum, brachia sint expansa ad redimendum.

Juxta crucem stantem video Matrem dolorosissimam et discipulum, quem diligebat Jesus.—Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide !

Ut uberes fructus ex hac contemplatione capiam, quæro :

a) *Quis ille est*, quem tam acerba patientem cerno ? Responsum audio a Patre cœlesti : "Hic est *filius meus dilectus* in quo mihi bene complacui."—Audio Petrum affirmantem : "Tu es *Christus Filius Dei vivi.*" Ille est, qui propter nos homines et propter nostram salutem *descendit de cœlis.*

Ille est, qui propter me factus homo, fieri voluit *frater* meus, *sponsus animæ meæ.*—Est *pius Samaritanus*, qui infundit oleum in vulnera mea.—Est *Bonus Pastor*, qui me nutrit corpore suo et sanguine.

b) *Quære : Quæ causa tam* acerbæ passionis ?

Oblatus est, *quia ipse voluit.*—Posuit Pater cœlestis delicta omnium nostrum super eum.—"Ipse peccata multorum tulit et *livore ejus sanati sumus.*"

c) *Pro quibus patitur ?*—Sanctus, innocens, impollutus patitur *pro nobis peccatoribus.*—Divinitas se occultat, ut pec-

cata nostra super lignum portare et ea delere possit. Pater patitur pro suis filiis—homo Deus pro nobis peccatoribus.

Quomodo non *compatiar ego*, et de *peccatis meis non doleam!* . . .

Punct. II.

Audire Verba.

Dum ita Dominum meum in cruce pendentem et extrema patientem contemplor, clamores et *blasphemias audio* insultantis populi: "Alios salvos fecit; seipsum non potest salvare; si filius Dei est, descendat de cruce, et credimus ei."

Ultima verba audio ex ore morientis Salvatoris: "Jesus autem dicebat: *Pater dimitte illis*, non enim sciunt quid faciunt." Si cognovissent Filium Dei, non crucifixissent eum.—Quanta malitia eorum, qui cognoscunt, et suis peccatis iterum in seipsis crucifigunt! . . .

Audio latronem a dexteris precantem: "*Domine memento* mei dum veneris in regnum tuum!" Responsum percipio, quo etiam mihi spes veniæ data: "*Hodie mecum eris in paradiso.*"

Cum vidisset Jesus Matrem et discipulum stantem, dicit Matri suæ: "*Mulier, ecce filius* tuus;" dein dicit discipulo; "*Ecce mater tua.*" Hæc quoque verba mihi dicta considero.

Tum acerbum mortis dolorem manifestans, dicit Jesus: "Deus meus! *quare me dereliquisti?*"—Audio: "*Sitio—Consummatum* est—Pater in manus tuas *commendo spiritum meum!*" . . .

Etiam ad me Jesum loquentem audio: Quid amplius pro te, Fili, facere potui? Nonne justum est, ut tu reddas cor tuum mihi? . . .

O vos omnes, qui transitis per viam, *videte—audite—eligite.* Jesus hunc *contemptum*, talem *derelictionem*, hanc *crucem* elegit et sustinuit ex amore erga me;—nonne oportet, ut ego ex amore reciproco similia amplectar et eligam: *Contemptum, derelictionem, opprobria, crucem?*

Ecce ego, Domine! adauge in me fidem et amorem! "Præcedat Dominus meus ante servum suum! . . . et ego sequar paulatim vestigia ejus!"

PUNCT. III.

Opera et circumstantias passionis considero.

"Crucifigentes eum diviserunt ejus vestimenta sibi." (Marci xv.)

a) *Diviserunt vestimenta* ejus. Quanta *paupertas!* et ita denudatus coram tanta multitudine divinus Salvator, inter duos latrones in cruce suspensus est. *Quantum opprobrium!* . .

Ita nos quoque omnibus bonis terræ denudati moriemur; sed veste peccatorum indutus peccator impœnitens, descendet in infernum.—"Opera enim illorum sequuntur illos."

b) "*Crucifixerunt eum.*" *Quantus dolor!* Obtusi clavi manus pedesque perterebrant.—Omnia membra extenduntur ita ut ossa dinumerari possint—nervi et venæ lacerantur! Et hæc omnia *Jesus pro me patitur!* pro me ingrato peccatore! . . .

c) *Causa tantæ passionis* et mortis in cruce *amor est:* "Dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis."

Non satis erat amori, ut in agonia sanguinem sudaret; ut dilaceraretur flagellis et spinis coronaretur; nunc cruci affixus, *inclinato versus nos capite*, spiritum in manus Patris tradit. Ita pro me moritur Dei Filius; pro me licet ingrato! . .

Potuisset inimicos suos destruere; sed divinitas se abscondit, et sinit sacratissimam humanitatem tam acerba pati.

Uberem fructum inde capturus, meipsum examino: Quid ego vicissim ex amore erga Jesum crucifixum egerim? . . . Quid statuo rependere? . . .

Quam *justum est*, ut peccata et infidelitates meas defleam!

Quam *gloriosum pro me*, si crucem post Jesum feram!

Quam *dignum*, ut sæpe memor hujus passionis Christo condoleam!

Colloquium cum Jesu, quem cruci affixum contemplor. Cum S. Bernardo dicam: Peccavi! anima mea desuper afflicta et angustiata est; non tamen desperabo. . . . In vulnera Tua, O Jesu, oculos meos figam.—Non est peccatum adeo grande, a quo non laver in sanguine Tuo! . . .

ANIMA CHRISTI—*Kempis ii. 12 usque ad 8.*

DIES VII. MEDITATIO III.

CONTEMPLATIO SS. CORDIS JESU.

PRÆLUDIUM I. Historia. Postquam Jesus in cruce emiserat spiritum, "Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua." (Joan. xix.)

PRÆLUDIUM II. Cor divinum intueor, eo modo ante oculos positum, sicut divinus Salvator piæ moniali Margaritæ revelavit:

1. *Spinea corona* circumdatum.—2. *Flammis inde* erumpentibus.—3. *Cruce erecta* in mediis flammis.—4. Largo et *profundo vulnere* apertum.

PRÆLUDIUM III. Dominum Jesum humillime rogamus, ut ipse nos velit edocere causam, cur *hisce signis* Cor suum notatum exhibere voluerit. Velit etiam cor nostrum *flammis amoris reciproci* accendere.

PUNCT. I.

Ante omnia *coronam illam spineam* aspicio, qua illud Cor divinum video circumdatum, et mente volvo, quidnam divinus Salvator hoc signo voluerit manifestare.

Jesus Christus, unigenitus Filius Dei, gloria et honore coronatus est. Ipsi verba congruunt: "Filiæ Sion, videte Regem vestrum in diademate, quo coronavit eum Pater cœlestis."

Hic Filius Dei, Rex gloriæ, venit in mundum propter nostram salutem. *Exinanivit se, formam servi accipiens.* Dilexit nos et *tradidit seipsum pro nobis.*

Postquam jussu præsidis dire fuerat flagellatus, "milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus."

Corona illa spinea in Corde Jesu omnes passiones et ludibria nobis repræsentat, quæ Jesus Salvator propter nos homines sustinere voluit, factus *opprobrium hominum* et *abjectio plebis.* . . .

Et hæc quidem fecerunt milites, quando Jesus traditus fuit in manus eorum.

Sed quare, piissime Jesu! etiam nunc Cor Tuum divinum *spinis vulneratum*, oculis nostris exhibes? . . . Quid sunt spinæ illæ, quæ Cor Tuum continuo pungere videntur? . . .

Responsum audio per os Prophetarum: "His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me."—Et iterum: "Pro eo ut me diligerent, odium reddiderunt pro dilectione."

Hæc verba ego mecum perpendens, examino me, annon in singulari de me prolata esse videantur. . . . Quam multa bona, dilectionis argumenta, ego accepi a Domino? Quid pro iis reddidi?

Quam aptus fuissem in diebus juventutis meæ nectere *coronam ex violis humilitatis—liliis castitatis - rosis amoris*, quibus Cor Jesu ornavissem, eique gaudium peperissem! . . . Nonne forsitan *spinas peccatorum texui*, quibus Cor Jesu dire pupugi—et odium reddidi pro dilectione? . . .

Et nunc electus a Domino et vocatus fungi Sacerdotio et offerre Deo hostiam laudis;—an juxta monitum Apostoli vitam ago, tanquam exemplar fidelium, verbo et opere, in fide, amore, et castitate, parare Domino plebem perfectam? . .

Delicta juventutis meæ et ignorantias, Domine, ne memineris. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, quibus peccata mea defleam et laver? . . .

Fac, Domine! ut imposterum Cordi Tuo gaudium pariam: hoc meum propositum in Cor Tuum divinum recondo.

Punct. II.

Altera proprietas seu signum, quod in Corde Jesu notatum videmus, *sunt flammæ ignis*, quæ inde erumpunt.

Divine Salvator! quid flammæ illæ in Corde Tuo denotant? quid *ille ignis erumpens* et *accendens?*

Responsum habemus: "Ignem veni mittere in terram: quid volo nisi ut accendatur."

Flammæ illæ symbolum amoris sunt, quo te, fili, dilexi; insuper ostendunt, quantopere velim ut tu reciproce accendaris.

a) Potuisset Filius Dei nos redimere, quin tam acerba pateretur et in cruce vitam traderet. Unica gutta sanguinis, utpote infiniti valoris et meriti ad redimenda peccata nostra suffecisset, ut Patri cœlesti reconciliaremur. . . .

Sed, quod ad redimendum nos suffecisset, non satis erat amori.—Ex nimia charitate, qua dilexit nos Jesus, torrentem sui sanguinis voluit profundere, demonstrans, "quia majorem

charitatem nemo habet, quam ut tradat quis animam pro amicis suis.''—Aspice caput, in cruce inclinatum ; latus apertum ad amandum ; totum corpus expansum ad redimendum, ait S. Augustinus.

Eximium *illum amorem*, quo Jesus nos dilexit, flammæ, e Corde divino prorumpentes, *palam faciunt.*

b) At vero insuper *flammæ sunt, quæ accendunt* et calefaciunt : '' quid volo, nisi ut ille ignis accendatur ?''

Quid mihi proderit ignis ardens divini Cordis, si ad illas flammas cor meum non accendatur, seu frigidum permaneat ?..

Quantopere hoc igne divini amoris succensa erant corda Sancti Xaverii, Stanislai Kostkæ, ut æstum mitigare oporteret ! . . .

Ego manum pectori admovens, dolebo, quod tam parum caloris ibi experiar ! . . . Statuam et petam ut accendatur . . .

Punct. iii.

Tum crucem illam contemplor, erectam inter medias flammas. Divine Salvator ! quid illa crux, plantata in Corde Tuo?

Percipio responsum : super lignum illud, fili, delicta tua tuli ;—crux instrumentum est, quo redemptionem tuam operatus sum.—In hac cruce Patrem rogavi pro crucifigentibus et pro te, ut dimittat vobis. —Et latroni pœnitenti paradisum spopondi.

In hac cruce, fili ! Mariam Matrem meam in persona Joannis tibi in Matrem tradidi.—Omnia, quæ de me scripta erant, consummavi ; animam meam in manus Patris mei in hac cruce commendavi.

O si scires mysterium crucis, et amorem cognosceres illius, qui se pro nobis in cruce tradidit ; quanto amore reciproco cum Apostolo Andrea crucem amplectereris et amares ! . . .

Crux illa est tessera nostræ fidei.—Est anchora spei nostræ —sed insuper *reciproci amoris nostri pignus est.*

An cum Apostolo Paulo fateri possum : '' Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei, Jesu Christi ?''

PUNCT. IV.

Superest pie meditandum, quid largum et profundum vulnus denotet, quo Cor divinum apertum apparet.

Narrat Evangelista: "Unus militum lancea latus ejus aperuit; et continuo exivit sanguis et aqua."

Hæc facta sunt in cruce, postquam Jesus emiserat spiritum. Quare autem divinus Salvator adhuc sacrum suum Cor tali vulnere saucium nobis exhibet?

Hoc largo vulnere *mysterium perpetui sui amoris erga nos* Jesus manifestat, Cor suum, apertum pro nobis, ostendens, ut cum fiducia in omni afflictione nostra ad illud recurramus.

Simul autem *ingratitudinem hominum* ostendit, qui voluntarie peccando illud sacrum Cor novo vulnere sauciant et contristant.

Illud Cor amabile jam non una lancea, sed millenis peccatorum lanceis indies transfoditur. Vulnera multiplicia; alium alio profundius! . . . Etiam ab iis transverberatur, qui ob majora accepta beneficia, pro eo ut diligerent, odium reddunt pro dilectione.

Injurias has et contumelias Cor Jesu apertum nobis manifestat, ut peccatores, illud intuentes, malitiam suam agnoscant; . . . justi autem, ad commiserationem moti, reparationem ferant.

Colloquium cum Jesu: Fatebor *meam infidelitatem—dolebo—deprecabor—firmiter statuam.*

ANIMA CHRISTI—*Kempis ii. 11.*

DIES VIII. MEDITATIO I.

HEBDOM. IV.—RESURRECTIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?
Luc. xxiv.

In hac meditatione fidelitatem contemplamur, qua Pater cœlestis sacrificium Filii sui, eum glorificando, remuneratur. —Tum pia mente recolimus, quomodo Christus Dominus noster sanctæ Matri suæ apparuit.

PRÆLUDIUM I. Postquam Christus in cruce expiravit, beata anima ejus, separata a corpore, sed cum divinitate conjuncta (sicut etiam Divinitas cum corpore unita mansit), ad inferos descendit, inde animas justorum liberatura. Tum ad sepulcrum rediens Dominus et resurgens, apparet Beatissimæ Matri suæ.

PRÆLUDIUM II. Videre sancti sepulchri situm et dispositionem, ac beatæ Virginis cellulam speculari, ubi plangens et desolata, sed spe resurrectionis Filii sui plena, preces fundebat.

PRÆLUDIUM III. Gratiam a Deo poscere, ut læter et *intense gaudeam* de tanta gloria et gaudio resurgentis Domini nostri Jesu Christi.

In duobus punctis meditabimur:

I. Quam fideliter Pater cœlestis sacrificium Filii sui remuneretur.—II. Quantum gaudium Beatissimæ Matris in resurrectione Filii sui.

PUNCT. I.

Juxta multitudinem passionum, consolationes animam Jesu Christi repleverunt:

Triplex genus sacrificii divinus Salvator Patri suo obtulerat; inde triplici consolatione lætificatus est:

1. Pater cœlestis hostiam et holocaustum noluit; corpus autem adaptavit Filio suo. Hoc *corporis sui sacrificium* Jesus Christus Patri suo obtulit; sanitatem et vitam suam.

Vidimus eum flagellis dire cæsum, spinis coronatum, clavis cruci affixum, non habentem speciem hominis; animam suam in cruce moriens commendavit in manus Patris.

Nunc a mortuis resurgens, novam, immortalem vitam

adeptus est: Corpus ejus factum est subtile, impassibile, immortale, splendore solis clarius et gloriosius.

Etiam nobis, corpori nostro, ejusmodi gloria promissa est; si tamen cum Duce nostro compassi fuerimus, ut et conglorificemur. Si eum secuti fuerimus in labore et prœlio, tribuet nobis victoriæ palmam. (Regnum Christi.)

2. Jesus in passione *honorem quoque suum* in sacrificium obtulit. Vidimus eum quasi novissimum virorum; factus est opprobrium hominum et abjectio plebis, cum sceleratis computatus, saturatus opprobriis, quasi vermis et non homo.

Nunc, cum a mortuis resurgit, Jerusalem impletur gloria triumphi ipsius—confunduntur principes sacerdotum et judices populi—milites testimonium perhibent—Apostoli, qui fugam ceperant tempore passionis ejus, prædicant resurrectionem—Angeli et animæ e limbo liberatæ Victorem laudant.

Quam justum, ut nos pariter *honorem nostrum Deo* offeramus, dicamusque cum Apostolo: "Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare."

3. Obtulit quoque divinus Salvator *consolationes animæ suæ* in sacrificium. Anima ejus mœrore et amaritudine potata fuit, tristis facta usque ad mortem, et ita desolata, ut in cruce exclamaret: "Deus meus! quare dereliquisti me?"

Nunc tempus dolorum transiit · juxta mensuram afflictionum, consolationes repleverunt animam ejus, et cœlesti dulcedine potatur in possessione æternæ gloriæ.

Spes indubia talis consolationis et gloriæ sit reposita in sinu nostro! Etenim in sequelam Ducis nostri Jesu Christi vocati sumus, ut hujus triumphi evadamus participes. . . .

"Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur."

Punct. II.

Jesus apparet Beatissimæ Matri suæ.

Maria, quæ proxima fuit cruci, merito prima fit in consolatione.

a) Oculos mentis meæ converto ad Beatissimam Matrem Jesu, mœrore adhuc confectam, sed certa spe resurrectionis plenam.

Subito splendor cœlestis refulget in ejus habitaculo, et

cellulam lumine et gloria adimplet : *Jesus redivivus* in glorificato corpore suo apparet Matri suæ.

Splendorem illum *perlustro*, ut gaudii Matris particeps fiam. . . . Itaque, quo propinquior cum Jesu in passione, tanto prior Maria in participatione ejusdem gloriæ et consolationis ! . . . Hæc fides et spes indubia, quantum me debet excitare !

b) Hanc apparitionem Beatissimæ Matri suæ ego mente contemplans, simul *audire videor* salutationem et singula verba, quibus Filius a morte resurgens cor amantissimæ suæ Matris ad gaudium provocat et replet dulcedine . . . . Ave Mater . . . . gratia plena . . . . lætare, Alleluja ! . . . Jam imber dolorum abiit et recessit—*Filius tuus vivit* . . . . oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam.

Audio concentum Angelorum in jubilo canentium : Regina cœli lætare, Alleluja ! quia quem meruisti portare resurrexit sicut dixit ! Alleluja.

Et animas e limbo eductas jubilantes audio : dignus est agnus, qui occisus est, accipere gloriam et honorem, qui redemit nos in sanguine suo, et comparavit nobis regnum.

Hisce in spiritu me jungam ; atque in cordis jubilo lætus acclamabo. . . . Regina cœli lætare ! Alleluja. Quia quem meruisti portare ; resurrexit sicut dixit. Ora pro nobis Deum ! Alleluja ! . . . Dignus est agnus . . . etc.

c) Tum attendam *quid agant.* Mutuos illos amplexus inter Matrem et Filium glorificatum considerabo, ut quodammodo gaudium percipiam, quo amborum corda superabundabant ; ut et guttula illius gaudii in cor meum redundet. . . . Quam lætus aspectus vulnerum glorificatorum, quæ Filius redivivus Matri suæ ostendebat !

d) Nunc primo ante omnes post resurrectionem suam Christus Dominus erga Beatissimam Matrem suam *officium consolatoris* exercet ; sicut solent amici amicos consolari. . . . quod officium dein discipulis, et omnibus credentibus exhibiturus est.

e) Hic pariter considerabo, quomodo Divinitas, quæ tempore passionis sese occultabat, nunc iterum vim suam exerat, et per hanc gloriosam resurrectionem se manifestet ; quæ deinceps variis miraculis elucescat.

Reflectam etiam, quod omnes apparitiones Jesu Christi eo

tendant et pro scopo habeant, ut pacem et animæ solatium adferant. Quanta dulcedine et pacis plenitudine cor Beatissimæ Matris debuit superabundare! . . .

Hic est spiritus Jesu Christi et scopus ejus, quando nos visitat, ut *pacem in cor nostrum ingerat*, et gaudium pariat.

An ego pacem hanc et gaudium in Spiritu Sancto experior? . . . An lætor de gloriosa resurrectione Domini et Ducis mei, et spe erigor, futurum ut hujus palmæ et gloriæ particeps aliquando evadam? . . .

Quid mihi restat faciendum? Quid faciam? . . .

Terminabo meditationem *colloquio cum Domino meo* Jesu Christo, ei congratulans de exantlato labore, et de triumphi gloria; qui nos redemit in sanguine suo.

Etiam *cum Beatissima Matre* lætissimo animo colloquar; sæpe per diem repetens: Regina cœli lætare, Alleluja, etc.

PATER—AVE—*Kempis iii. 47.*

DIES VIII. MEDITATIO II.

CONTEMPLATIO CŒLI.

Gaudete, quia merces vestra copiosa est in cœlo.—*Matth. v.*

Eo modo, quo pius Religiosus (Sacerdos) Jesum Christum sibi in regem elegerit, et illum sequens, viriliter cum hostibns dimicaverit;—ita pariter victoriæ palmam reportabit, et cum Rege suo in cœlesti gloria coronabitur.

Hanc mercedem magnam nimis modo contemplamur.

PRÆLUDIUM I. Video, sicut Stephanus, cœlos apertos. Visu imaginationis mihi repræsento civitatem illam sanctam Dei, cœlestem Jerusalem, sicut S. Joannes in Apocalypsi eam describit.

PRÆLUDIUM II. Ardens *desiderium cœli* humiliter peto, et gratiam imploro, ut meritorum dives, multa pro cœlo operer et patiar. "O Domine! quando apparebo ante faciem tuam!"

Punct. I.

In hoc primo puncto gaudia *video—audio*—et *gusto*, quæ Deus iis paravit, qui diligunt eum.

a) Oculis mentis meæ *speculor illud regnum*, quod Deus electis suis ab origine mundi paravit; ad quod Jesus Christus invitat: "Venite, benedicti, possidete regnum."

Contemplor *civitatem illam Dei*, cujus 12 portæ duodecim margaritæ sunt per singulas: Et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum: Et lucerna civitatis est Agnus.

Intueor *illam domum Patris*, de qua Jesus Christus affirmat: "In domo Patris mei mansiones multæ sunt;" has mansiones dimetior.—Unam pro me paratam video. . . .

Regem gloriæ Jesum Christum in diademate conspicio, quo Pater cœlestis eum coronavit; admiror Reginam cœli Mariam, a dextris ejus assistentem.

Video omnes Dei electos ibi tanquam stellas fulgentes in perpetuas æternitates: Coronam illam gloriæ admiror, qua capita eorum decorata sunt. "Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit."

"Vere non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam!"

b) *Audio* gaudiosam *illam invitationem* ad electos, ut stabilem mansionem in illo regno Patris capiant: "Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum ab origine mundi."

Venite ab arduo labore ad perpetuam quietem . . . . ex hac valle lacrymarum ad immensa et æterna gaudia . . . . ex misero exsilio ad felicem patriam; ad libertatem filiorum Dei; "jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit."

Venite Benedicti! qui olim in laboribus multis et ærumnis fuistis, nunc quoad corpus et animam benedictionem accipite. . . .

Benedicti Patris mei, quem laudastis—honorastis—cui servitium exhibuistis, zelantes pro gloria ejus, illiusque sanctam voluntatem facientes.

Benedicti mei, qua fratres et coadjutores mei, qui mecum pugnastis, et victoriam reportastis, nunc gloriæ meæ participes. . . .

Benedicti a Spiritu Sancto, qui fuistis templum ejus, et illud templum sanctum et impollutum conservastis. . . .

Benedicti a Maria, nunc cœlorum Regina, sub cujus præsidio, qua fideles ejus filii, ad finem vitæ perseverastis. . . .

Venite, possidete regnum, in quo Ego cum Patre et Spiritu Sancto, vivo et regno in perpetua sæcula !

Audio illud perpetuum hosanna : illas gratulationes ad invicem, quomodo omnes electi Dei misericordias Dei cantent, quia non sunt consumpti.

c) Gusto cœlestes illas delicias, quibus electi implebuntur ab ubertate domus Dei ;—dum, sicut ferrum in substantiam ignis videtur converti, illi velut in divinam substantiam convertentur : quibus dicitur : " Dii estis et filii Excelsi omnes."

Sicut cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Domine !

Punct. ii.

Opera considerare, quibus Sancti cœlum adepti sunt.

Mente frequenter volvam, quid Sancti in vita sua fecerint, ut ad cœlestem illam gloriam, ad æterna præmia pertingerent.

Oculi eorum semper erant ad Dominum : coram Deo obambulabant ; inde *laus Dei* semper in ore eorum ; *venerationem*, et lætum *servitium Deo* continuo exhibebant.—Ubi noverant thesaurum suum esse, ibi cor eorum erat.

Cœlum, sicut Stephanus, veluti apertum videbant, ad quod incessanter anhelabant, cupientes dissolvi et esse cum Christo. Jesum ad dexteram Patris stantem, et paratum videbant, in omni tribulatione illis succurrere ; centuplum et vitam æternam retribuere.

Elegerant sibi Jesum Regem et Ducem, ut illum sequentes in paupertate, castitate et obedientia ;—atque semetipsos abnegantes, in contemptu crucem post ipsum ferrent. Bonum certamen certaverunt, fidem servarunt, et in amore Jesu Regis sui cursum consummarunt. . . . Nunc in cœlis palmam adepti, cum illo regnant coronati ! . . .

Speculor sanctos Apostolos—Martyres—Confessores—Virgines : *proximi* fuere *cum Jesu in certamine ;* nunc proximos illos contemplor *apud Jesum in gloria Patris !* . . .

Vere felix pœnitentia ! felices lacrymæ et pugnæ quæ tantam promeruere victoriam et coronam !

"Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est." . . .

"O Domine! quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te!" Quando veniam?

Fructum Capere.

Plurimum juvat, si frequenter ad meipsum reflectam, et explorem, *quid ego* hucusque fecerim ad cœleste præmium reportandum. . . . In annos adolescentiæ et juventutis meæ oculos conjicio, de quibus Spiritus Sanctus affatur: "Bonum est viro, si portaverit jugum Domini ab adolescentia sua." Quosnam ego fructus illa ætate pro cœlo collegi? . . .

Fructus et merita considero, quæ pro cœlo sibi comparabant Aloysius—Stanislaus—Teresia, etc.

Annos numero, quibus a Deo ad statum religiosi famulatus electus sum, et cogito: ad quid venisti? cur sæculum reliquisti? quosnam fructus pro vita æterna hic mihi comparavi? . . . An sicut servus fidelis vota mea et regulas rite servavi?

Quem zelum pro gloria Dei et animæ meæ salute impendi? An, qua Sacerdos, populo Dei luxi verbo et exemplo in omni castitate, pietate, justitia, parare Deo plebem perfectam?

Et nunc, cum hanc cœlestem gloriam meditor, an sordet mihi terra dum cœlum aspicio? an *desiderat anima mea* ad Dominum?

Affectus.

Quis mihi det hoc cœli desiderium, ut omnia super terram arbitrer ut stercora, ut Christum lucrifaciam; ut illius gloriæ in cœlo particeps fiam!

Quapropter animo contrito et humiliato ad Te, Deus meus! cum Augustino ingemiscam: *Sero Te amavi!* Tardum meum amorem deflebo! Superest ut imposterum, duplicato amore, thesaurum non deficientem in cœlo mihi comparare studeam.

O Maria! Regina cœli, ora pro me!

O Jesu! Sis advocatus meus apud Patrem!

Pater noster! adveniat regnum tuum!

Pater—Ave—*Kempis iii. 49.*

DIES VIII. MEDITATIO III.

AD EXCITANDUM AMOREM SPIRITUALEM.

Sanctus Ignatius observat, quod amor non in verbis aut sterilibus affectibus se debeat manifestare; sed in mutua *communicatione rerum* et operum amor consistit; ita ut amans amato, et vicissim amatus amanti det et communicet ea, quæ habet et dare potest; puta scientias, divitias, honores seu qualecumque bonum.—Amor *poscit sacrificium.*

Præludium I. Erit, ut coram Deo, Angelis, Sanctisque omnibus mihi propitiis et pro me orantibus, stare me videam.

Præludium II. Ut gratiam Dei efflagitem, qua multitudinem beneficiorum Dei in me collatorum perspiciam; et me vicissim ad amorem ejus et servitium totum impendam.

Punct. I.

In memoriam mihi adduco beneficia mihi a Deo, qua argumentum illius in me amoris, large concessa.—Inde laudet anima mea Dominum, ne umquam obliviscar omnium retributionum ejus.

Perpendo hæc beneficia, *Creationis--Redemptionis*, et dona singularia in *particulari mihi a Deo attributa.*

a) Beneficia Creationis: Dona naturalia et proprietates: *Corpus* suis quinque sensibus instructum.—Vita suis bonis. Providentia, quæ regit me et protegit.—Talenta mihi tradita.

Gratissimo animo bona hæc pondero, ut agnoscam, quam magna Dominus mihi fecerit, quam large se mihi communicet.

Animam quoque immortalem Deus mihi elargitus est: ad *imaginem suam* me creavit: *Intellectum* dedit ut eum agnoscerem: *memoriam*, ut beneficiorum ejus recordarer: dedit *liberam voluntatem*, ut dilectionem ei exhiberem.

Quam liberaliter Deus thesauros suos pro me patefecit! qui continuo paratus est, seipsum, quantum possibile, mihi dare.

b) Beneficia Redemptionis: Dona illa supernaturalia: "Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret."

Hic Dei Filius factus est nobis sapientia a Deo—*noster*

magister.—Factus est *Sacerdos magnus*, qui seipsum pro nobis hostiam obtulit. Factus est *Redemptor noster*, qui suo sanguine nos lavit; debita nostra solvit. Factus est *Salvator noster*, qui nos a morte æterna liberavit. Factus est *mediator* et *advocatus* noster et *bonus pastor*, qui nos propria sua carne et sanguine nutrit in vitam æternam.

c) Insuper dona considero, *in singuluri mihi concessa*, et video, quanta propter me Dominus Deus meus egerit et pertulerit:

Perpendo donum fidei—gratiam vocationis ad S. Ecclesiam catholicam—gratiam electionis ad hunc statum Religionis et Sacerdotii—tot internas illustrationes—tot et tanta æternæ salutis media.

Hæc tria donorum genera characterem veri amoris exprimunt:

1. Amor est, qui se in opere manifestat.
2. Est amor, qui quasi prodige sua bona dispergit.
3. Amor, qui se paratum exhibet, continuo plura elargiri.

Existit in Deo intimum desiderium, nobis benefaciendi; quod desiderium tunc tantum plene satiabitur, quando se nobis in cœlo integre donaverit, factus *merces nostra* magna nimis.

His rite perspectis, vertar ad meipsum, et mecum disquiram, *quæ sint partes meæ;* quam justum et æquum sit, ut ego, ad exhibendum amorem reciprocum, *me* et *omnia mea* divinæ Majestati liberaliter offeram et devoveam. (Hic primus gradus amoris est.)

Ac ingenti affectu dicam: Suscipe, Domine, universam libertatem meam. Accipe memoriam, intellectum et omnem voluntatem meam. Quidquid habeo vel possideo mihi largitus es; id Tibi totum restituo, ac Tuæ prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem Tui solum cum gratia Tua mihi dones et dives sum satis; nec aliud quidquam ultra posco.

Punct. II.

Attendam, quomodo Deus, in elargiendis suis beneficiis quasi prodigus, in creaturis et in meipso *veluti habitat.*

Si singulos gradus mundi visibilis perlustrem, ubique *Deum præsentem* invenio, qui dona sua dispergit: Habitat in ele-

mentis, dans illis esse, ut sint.—In plantis, ut per vegetationem vivant.—In animalibus, dans illis sentire, ut externas impressiones sentiant.—In hominibus, ut simul etiam intelligant.

Itaque nobilissimo modo *Deus in me habitat;* dans mihi non solum esse, vivere, sentire, sed simul et *intelligere;* insuper *me templum* quoddam suum efficere voluit, cum ad imaginem suæ divinæ Majestatis me creaverit.

Quæ omnia perpendens et admirans, agnosco quam sit dignum et justum, ut amorem rependens, ego pariter in Deo habitem, in omni *loco eum præsentem habeam* et venerer, ut ita coram Deo ambulans, sanctam ejus voluntatem adimpleam. (Hic secundus gradus reciproci mei amoris est.)

Unde oblationem mei faciam, ut supra, dicens cum magno amore: Suscipe, Domine, . . . etc.

Punct. iii.

Considerabo, quomodo Deus, supremus benefactor noster, propter me, non tantum in creaturis præsens adsit, sed quod insuper in rebus creatis *continuo operetur*, habens se per modum laborantis; ut in elementis, plantis, animalibus det et conservet quod habent, vegetationem et sensum; eaque apta faciat, ut vim suam valeant exerere.

Jam, pro quonam alio operatur Deus in rebus creatis quam *pro me?* . . . Lucet mihi in lumine solis; nutrit me in frugibus terræ; servit mihi in qualibet creatura.—Dici potest in veritate, quod bonitas, sapientia, omnipotentia Dei omni momento *in meum servitium occupentur*, ut indigentiis meis succurrat, et solem suum super bonos et malos quotidie oriri faciat.

Nonne *hæc Dei activitas* in rebus creatis, qua amorem suum manifestat, exemplo mihi servire debet, ut ego pariter amorem reciprocum demonstrans, *activitatem meam erga Deum* exhibeam? ut amor meus in opere, laborando pro gloria Dei, *activus sit.* . . . (Hic tertius gradus amoris est.)

Unde cum oblatione mei ipsius iterum dicam: Suscipe Domine etc.

Punct. iv.

In hoc puncto Deum contemplamur: Ens infinite perfectum, ex cujus infinito thesauro omnia bona super terram desursum profluunt; qui *fons et origo* est, unde omnis vis et perfectio humana, quæ limitata est, omnis sapientia, bonitas etc. proveniunt, quemadmodum radii a sole et ex sole descendunt; et rivuli ex suis fontibus prosiliunt.

Hic quartus et *supremus gradus* nostri reciproci amoris est, ut *exuentes nos amore* omnium creaturarum, omnem amorem nostrum *in ipsum creatorem* conferamus; scilicet *avulsio cordis a creaturis;* sunt enim bona finita et mutuata; et *avulsio a nobis ipsis;* etenim omne bonum, quo gaudemus, a Deo qua fonte omnis boni, provenit.

Ab hac duplici avulsione libertas animi nostri exoritur.

Reflectens ad memetipsum exquiram, ad quem gradum amoris reciproci erga Deum ego ascenderim? . . . Si forsitan cum Augustino fateri debeam: *Sero te amavi?* quid faciam imposterum, ut innovem amorem, et duplicando recompensem? . . .

Concludam iterum intimo affectu, ut supra dicens:

Suscipe, Domine, universam libertatem meam, etc.

Amorem Tui solum cum gratia mihi dones, et dives sum satis! . . . Pater Noster.

O Maria, Mater pulchræ dilectionis! Ave Maria.

Thomas a Kempis iii. 5.

MEDITATIO PRO CONCLUSIONE.

DE AMORE NOSTRO ERGA JESUM ET MARIAM.

Inveni quem diligit anima mea.—*Cant. iii.*

Gloria Dei, et unio nostra cum Deo per amorem, est ultima meta Exercitiorum.—Nunc pro conclusione, rationes meditabimur, quæ nos ad amorem Jesu Christi Domini nostri, et Mariæ Dominæ nostræ movent.

Præludium I. Intueamur Dominum nostrum Jesum Christum speciosum forma præ filiis hominum ; auctorem et consummatorem fidei, qui dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis.

Præludium II. Humiliter Deum rogemus, ut *in cognitionem* perfectam Jesu Christi veniamus : ac inde ad amorem ejus perfectum excitemur.

Punct. I.

a) Jesus Christus *dignus in se* amore nostro.

Quo plus sublimem dignitatem Jesu Christi cognoscimus, eo magis in ejus amorem rapimur.

Jesus Christus, qua verus Deus, est Rex gloriæ ; Fortis, Admirabilis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

Qua verus homo est, in eo absconditi sunt omnes thesauri scientiæ et sapientiæ Dei : corpus ejus de Spiritu sancto conceptum ; anima ejus perfectissimum opus est Divinitatis.

Natus est *ex Maria virgine :* declaratus Filius Dei dilectus, in quo Pater cœlestis sibi complacuit.

Expedit profecto, ut Rex supremus angelorum et hominum omnes perfectiones possideat, ad amorem nostrum lucrandum.

Nunc, cum a mortuis gloriosus resurrexit, pulchritudo et splendor ejus in cœlo gloriam Sanctorum eorumque perfectam beatitudinem operatur.

b) Jesus Christus dignus amore nostro *propter similitudinem* et *affinitatem* ejus nobiscum.

Deus creans hominem, imaginem suam ei impressit ; per *hanc similitudinem* hominem ad sui amorem excitans.

Per peccatum hæc similitudo partim periit et depravata est : at vero Deus ita dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.

Hic Dei Filius naturam humanam assumens, similis nobis factus est, per hanc *similitudinem* corda nostra et amorem lucraturus.

Omnes quoque naturæ humanæ miserias (excepto peccato) in se suscepit ; "iniquitates nostras ipse portavit."

Quis talem Redemptorem, per omnia nobis similem, non diliget ?

Insuper intimam *affinitatem* Jesus Christus nobiscum contraxit. Ut nostrum reciprocum amorem excitet, factus est *noster frater*, *dux noster*, *pastor* et *sponsus animæ* nostræ.

Præcipit ut eum amemus ; pulsat, ut cor nostrum ei aperiamus.

c) *Beneficia per Jesum Christum accepta*, ad eum amandum nos provocant. Beneficia *universalia* creationis, redemptionis, justificationis ; sed *et particularia*, vocationis nostræ, etc. per Jesum Christum accepimus. Qua verus Samaritanus oleum fundit in vulnera nostra, ut sanet ; qua Redemptor, debita nostra solvit, ut Patri suo nos reconciliet ; qua bonus pastor, suo corpore et pretioso sanguine nos nutrit. "Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit."

Quot et quantas causas invenio, O, Jesu ! dulcis hospes animæ meæ, ut toto corde Te diligam ! . . . Sed proh dolor ! *sero Te amavi*, pulchritudo tam nova, tam antiqua ! . . .

Justum est, ut hanc tarditatem, duplicando imposterum amorem meum, recompensem ; ut jam nihil amplius ab amore Tuo me separare possit.—Anima Christi, etc.

Punct. II.

Rationes quoque pensemus amoris nostri erga Mariam. Ad pedes crucifixi in spiritu præsentes, verba morientis Jesu audiamus : "*Ecce mater tua.*" (Joan. xix. 28.)

I. Maria nobis in Matrem data est.

II. Illa se nobis continuo monstrat esse Matrem.

I. Maria *in Matrem nobis data* est a Jesu Christo Dei Filio, dum seipsum in cruce Patri suo cœlesti in sacrificium obtulit.

Nihil ultra possidebat, quod nobis dare potuisset; nunc, qua ultimum testamentum, dat nobis Matrem suam.

Et quidem obviis, clarissimis verbis hanc suam postremam voluntatem pronuntiat, dicens: Ecce Mater tua. Stabant juxta crucem Mater Jesu, et discipulus quem diligebat. Sanctissimæ Matri suæ Joannem tradit in filium: Discipulo autem et nobis omnibus—in persona Joannis—Mariam solemni voto dat in Matrem! . . .

Quam dignum et justum, ut hanc Matrem, a Jesu mihi datam, amem! Verosimillima profecto ratione, quoad corpus et animam nostram, Mariam, qua veram Matrem considerare possumus:

Et vitam quidem spiritualem, *vitam animæ nostræ* per Mariam habemus: Per peccatum anima nostra, gratia Dei orbata, mortua erat. Novam animæ vitam Jesus Christus Dei Filius, in cruce moriens, nobis comparavit.

Nunc autem Jesus Christus ex Maria Virgine natus est; itaque per Mariam nobis vita perdita data est; unde ipsa merito *Mater viventium* appellatur.

Jesus Christus fieri voluit *frater noster*, inde quoque voluit, ut cum ipso Mariam qua *communem Matrem*, habeamus: Ille primogenitus, nos secundogeniti filii Mariæ: Proin in cruce moriens dixit: Ecce Mater tua.

II. Maria se veram *esse Matrem monstrat.*

Maria canalis est, per quem omnes gratiæ de cœlis in nos descendunt; omnia namque Deus Pater nos habere voluit per Mariam, qui nobis Filium suum dedit per Mariam. (S. Bern.) Nec auditum est a sæculo, ut quis, colens et invocans Mariam fuerit derelictus. (S. Bern.)

Vocatio nostra ad Sanctam Fidem, educatio, electio ad hunc statum, conversio ad pœnitentiam, etc. nonne per Mariam? . . . Nisi Maria adjuvisset, paulo minus in inferno habitaret anima mea. S. Aloysius, S. Stanislaus Kostka, nonne per Mariam? Tu ipse. . . .

Stupendis miraculis Maria se Matrem esse monstravit: Inde S. Ecclesia illam salutat: "Solatium afflictorum, auxilium Christianorum, Refugium peccatorum . . . vita, dulcedo, spes nostra salve! Virgo clemens, fidelis, potens!" . . .

Propterea, qua boni filii Matris adeo amabilis, merito illi debemus: *amorem—fiduciam—imitationem.*

Amorem, quo illi placeamus, quæ gratia plena est, ut sensâ nostra gratitudinis illi exhibeamus.

Fiduciam, propter titulum Matris, et per Filium Deum velut omnipotentis – quia non est auditum a sæculo, etc. (S. Bern.)

Imitationem—hæc enim amoris filialis argumentum est. . .

Quapropter, qua filii *Matris Virginis*, *castitatem* . . . . qua filii Matris *doloribus confectæ*, *patientiam in adversis* . . . . qua filii Matris *humillimæ ancillæ Domini*, *humilitatem* . . . . qua filii Matris *erga proximum benignissimæ*, *charitatem fraternam* . . . . qua filii Matris a *Dei voluntate totæ* pendentis, *conformitatem* in sanctissimam Dei voluntatem, ut Matri nostræ simus conformes—exhibere tenemur.

Colloquium. Salve Regina Mater misericordiæ ! O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria !

DIE I.

Loco Considerationis fiet III. Meditatio.

Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?—*Matth. xvi.* 26.

Præludium I. Proponam mihi ob oculos Dominum meum turba discipulorum circumdatum, ac statuam me inter illos, ac si audirem Dominum etiam ad me dicentem : *Quid prodest homini ?*

Præludium II. Gratiam humillime petam, ut pretium animæ meæ, rerumque omnium caducitatem probe noscam.

1. *Memoria.* Quæ materia meditationis ?

Quis ? Dicit Jesus Christus, qui est æterna sapientia et veritas, missus de cœlo magister salutis, qui non vult frustra terrere aut angere. Hic ergo Jesus dicit : "*Quid prodest*" . . . . id est nihil prodest homini cuicumque, si mundum totum lucretur : divitias, honores, voluptates, si animæ suæ immortalis et æternæ—detrimentum patiatur. . . .

2. *Intellectus. Cur ita est ?* Quia mundus totus transit ; anima non transit ; sed manet in æternum, ut sit felix vel

infelix in æternum. . . . Transit mundus et omnis ejus gloria, divitiæ, honores, jucunditates. . . . Venit finis eorum; tunc certe nihil proderunt. Anima vero erit semper. Vel salus ei obtinget vel damnatio. Sed huic felicitati vel infelicitati animæ numquam finis veniet. . . . Ergo vere, quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?

Quæ *conclusio practica* inde deducenda?

Quia ita est, ergo universus mundus contemnendus est, cum omnibus suis divitiis, honoribus, jucunditatibus.

Ergo nec pro universo mundo obtinendo, nec pro omnibus ejus divitiis, honoribus, deliciis, quidquam detrimenti in anima suscipere possem . . . . multo vero minus pro parvo aliquo bono temporali . . . . pro vana gloriola . . . . pro aliqua sensuum voluptate . . . . animam periculo exponere possum.

3. Quænam *motiva* ad conclusionem servandam?

Decens. Quid hominem ratione præditum?—quid Christianum? quid Sacerdotem? quid socium Jesu facere decet? . . . Nonne conveniens, potius totius mundi jacturam facere, quam animam suam detrimento exponere?

Utile. Quanta inde commoda spiritualia? multa peccata et defectus ac perturbationes—etiam pœnas luendas evitabo, si hanc doctrinam secutus fuerim.

Facile. Qui diligunt ea, quæ sunt mundi, ambulant vias difficiles, lassantur in via iniquitatis. E contra, pro iis, qui sunt mites et humiles corde, jugum Domini suave est, onus leve.

Necessarium. Non relinquitur mihi ad libitum, vel animam meam perdere, vel eam salvare; sed necessitas mihi incumbit. . . . Væ mihi, si non fuero humilis, obediens; si non contemnam res hujus mundi! Sunt obligationes status et vocationis meæ. Si non coner eas explere, animam meam gravissimo periculo exponam; non salvabor.

4. *Quomodo hanc doctrinam* ego hucusque secutus sum?

Instituo examen, quomodo circa hanc veritatem hactenus ego me gessi? Si conformiter ad eam egi, gratias Deo agam; sin minus, confundar intime et erubescam! . . . In futurum autem probe mihi prospiciam.

Ad particularia descendens, examinabo me, quomodo sim affectus: si humilier—contemnar—irridear—reprehendar?

5. Quid imposterum *mihi faciendum est?*

Intellectus de veritate proposita rite perculsus, bona proposita, a voluntate dein amplectenda, requirit.

Hic pariter ad particulares casus descendendum est, quomodo me in illis gerere debeam, ut juxta agnitam veritatem agam.

6. Quale *impedimentum amovendum* est? qualia *media serio sunt eligenda?* . . . —ANIMA CHRISTI.

DIE II.

Loco Considerationis fiet IV. Meditatio.

DE PECCATO VENIALI.

Tamquam a facie colubri fuge peccatum.—*Eccl. xxi.*

PRÆLUDIUM I. Finge tibi hominem languentem, vulneribus saucium, morbis debilitatum, vinculis constrictum.

PRÆLUDIUM II. Pete lumen et gratiam, ut malitiam peccati venialis noscas; illudque cum pudore detesteris.

PUNCT. I.

Peccati venialis malitia in se.

Peccatum veniale dicitur leve in comparatione ad peccatum mortale; utpote facilior venia de eo obtineri possit.

Est autem *offensa Dei;* est injuria supremæ Majestati a vilissima creatura illata, quæ innumeris continuo beneficiis a Deo cumulatur. Adeoque præter inobedientiam, summam involvit ingratitudinem et neglectam Dei amicitiam.

Proin essentiale malum est, quod nec intellectus humanus capere, pro quo nec homo suis viribus satisfacere, potest.

Deus, sicut necessario seipsum amat, ita necessario odit peccatum veniale.

Quomodo igitur quis amans Deum, obstrictus Deo ob tot accepta beneficia, tale malum voluntarie committere potest? . .

Inde affectus eliciantur pudoris—doloris—serii propositi.

Punct. II.

Damna et pericula peccati venialis.

Equidem hoc peccatum non privat hominem gratia Dei, unde vivit anima; sed singularibus Dei gratiis et auxiliis eam spoliat.

Subtrahit illi singularem Dei providentiam, qua Deus justos fovet, protegit, atque adversus tentationes munit. Tum liberalitatem Dei erga nos parum minuit.

Culpa venialis tollit spiritualem animæ pulchritudinem et fœdam maculam ei causat, viresque ejus labefactat.

Quemadmodum morbi utcumque leves, corpus sensim debilitant, et ad mortem disponunt; ita veniales culpæ animam debilitant; et eam, sopito charitatis ardore, in progressu ad perfectionem retardant.

Ad peccatum in genere multipliciter inclinat: pravos habitus nutrit: timorem Dei debilitat; dum interea inordinatæ affectiones crescunt, ac graviores tentationes insurgunt. . . . Unde "qui spernit modica paullatim decidit; et qui in modico iniquus est, etiam in majori iniquus evadit."

Inde timor salutaris—confusio—ac detestatio.

Punct. III.

Pœna peccati venialis.

Deus certo puniet peccatum vel levissimum.—In hac præsenti vita sæpe punivit pœnis temporalibus:

Moyses et Aaron arcebantur ab ingressu in terram promissam; Bethsamitæ, ob arcam liberius consideratam, gravi plaga percussi; 70 millia hominum, ob vanitatem Davidis, peste sublati.

Præcipue in altera vita Deus illa punit pœnis purgatorii.

a) Quæ sunt illæ animæ? Sunt animæ Deo dilectissimæ, quæ, utpote non penitus mundæ, ultimum quadrantem solvere debent.

b) Quas pœnas luunt? Idem ignis est, qui purgat electos, et qui cruciat damnatos. (S. Aug.) Gravissima pœna, est pœna damni, qua a visione beatifica Dei arcentur, donec plene satisfecerint.

c) Quas ob causas pœnis adeo acerbis addictæ sunt? Prop-

terea, ut pro levibus culpis et defectibus, quales nos frequenter et levissimo animo committimus, divinæ justitiæ satisfaciant, donec penitus mundæ ad visionem Dei beatificam admittantur.

Ut fructum capiamus, introspiciamus conscientiam nostram, atque defectus et quotidiana nostra peccata venialia cognoscamus, quæ respectu ad Deum—ad nos ipsos, et ad proximum—adeo leviter solemus committere.

Inde stupor atque timor; sed et firmum eliciamus propositum.

Colloquium per Mariam ad Jesum et ad Patrem misericordiæ.—PATER.—AVE.

DIE III.

Loco Considerationis erit Meditatio III.

DE JUDICIO PARTICULARI.

PRÆLUDIUM I. Visu mentis meæ me qua magnum peccatorem mortis reum intueor, vinculis compeditum, qui mox ante Deum judicem sistetur, rationem redditurus.

PRÆLUDIUM II. Humilis oratio, ut strictum hoc particulare judicium perspiciam et continuo mente volvam; quo meipsum nunc judicem measque actiones ordinem.

PUNCT. I.

a) Enumero materias, seu singula a Deo mihi impertita beneficia, de quibus judicium instituetur et ratio reddenda:

Bona corporis, quinque sensibus et variis naturæ donis instructi . . . . *facultates animæ*, memoria, intellectu et libera voluntate, ac immortalitate præditæ.

Bona gratiæ: Gratia sanctificans, atque infusæ virtutes fidei, spei, charitatis. . . . Verbum Dei ejusque mandata. Particularia sacramenta—sanctæ inspirationes · vocatio ad hunc vitæ statum—crux et passio Domini nostri Jesu Christi.

Ad singula hæc puncta frequenter ex meipso quæram:

ad quem finem illa mihi sunt concessa? . . . quomodo tot gratiis et adjumentis usus sum? . . . quid faciam imposterum?

b) Ponderabo magnitudinem tantorum beneficiorum, quæ singula ex infinita Dei charitate et liberalitate mihi data fuerunt. . . . Dona autem supernaturalia sunt pretium sanguinis Christi: sunt dona Spiritus Sancti, qui effusus est in cordibus nostris.

Quam gravis mea culpa, si talia dona contempserim; si in propriam perniciem illis abusus sim! . . .

Ingemisco tamquam reus, culpa rubet vultus meus! supplicanti parce Deus! Juste judex ultionis donum fac remissionis! . . .

PUNCT. II.

Persona rei: Ego ipse et non alius! ibi stabo attonitus et confusus — nudus — solitarius — ab omnibus desertus — cum solis operibus bonis et malis . . . . potissimum a propria mea conscientia, sed etiam ab adversario diabolo graviter accusatus . . . . nullo defensore . . . . sine patrocinio beatissimæ virginis Mariæ—Angeli custodis—vel unius e Sanctis. Accusatus juxta statum meum: qua Christianus, Sacerdos, Religiosus.

PUNCT. III.

Persona judicis: Ipse Deus, summe sapiens, omniscius, justus, infallibilis, offensus et implacabilis. . . . Judex tremendus, supremus, a quo non est appellatio! . . . Quid in comparatione est hominum vel meum judicium?

Sententia judicis: summe optabilis pro justis, "*venite benedicti!*" . . summe terribilis pro iniquis: "*discedite a me!*" . .

Qualem ego sententiam accipiam? . . . quæ sunt opera mea? Optio nunc mihi datur, dum adhuc tempus est. . . . Ad tremendam illam damnationis sententiam lata via est; angusta via est, quæ ducit ad vitam æternam; . . . an ego contendo per hanc angustam portam intrare? . . .

Etiam si per Dei misericordiam eripiar, ne flammis crucier æternis; nonne pœnas purgatorii timendas habeo? quam graves illæ pœnæ et diuturnæ, donec ultimus quadrans solvatur! . . . Quam acerba illa pœna damni, separatio a visione Dei beatifica, ad quam animæ illæ afflictæ anhelant; tanto

durior separatio, quo facilius per pœnitentiam, per opera bona et indulgentias se liberare potuissent.

Quid, quomodo ego hucusque egi? an securus starem coram judice tremendæ Majestatis? quid imposterum faciam?

Colloquium. Recordare, Jesu pie, quod sum causa tuæ viæ; ne me perdas illa die! Quærens me sedisti lassus . . . redemisti crucem passus; tantus labor non sit cassus! ANIMA CHRISTI.

DIE IV.

Loco Considerationis est Meditatio II.

DE MISERICORDIA DEI.

Peccator profunde humiliatus, et corde contritus, ad fiduciam in Dei misericordiam erigitur. "Quantum abundavit iniquitas, tantum superabundat gratia."

PRÆLUDIUM I. Deum patrem misericordiæ intueor; video ejus brachia aperta ad suscipiendum peccatorem pœnitentem.

PRÆLUDIUM II. Fiduciam et gratiam humillime exoro, ut toto corde convertar ad Deum, cujus proprium est misereri et parcere.

Tres proprietates misericordiæ Dei meditamur.

PUNCT. I.

Deus sua longanimitate peccatorem tolerat.

"Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes converti ad pœnitentiam." His verbis S. Petrus Dei longanimitatem extollit, qui, ut ait Propheta, tempus continuo differt, ut peccatoris misereri possit.

Quis talem Dei misericordiam ipse non est expertus? . . . Peccator, dum peccat, culpam coram Deo contrahit; atque omnes creaturæ paratæ essent ad vindictam ob læsam Majestatem sui Creatoris. At Dominus respondet: "misereamur impio; nolo mortem peccatoris." Quam admirabilis hæc Dei longanimitas elucebat tempore diluvii cum arca fabricaretur!

Augustinus hanc Dei patientiam laudat, dicens : Domine ! ego continuo magis a te elongabar ; passiones meæ in dies profundiores jaciebant radices ! Tu autem mecum habebas patientiam !

Et *Ego qui hæc meditor*, in mentem vocans delicta juventutis et ignorantias meas, nonne sicut Augustinus fateri cogor : Tu Domine ! mecum habuisti patientiam ! . . .

Punct. ii.

Deus peccatorem ad pœnitentiam invitat et quærit.

Vere admirabilis est Dei misericordia, qui peccatorem tolerat ; at major adhuc Dei bonitas, qui peccatorem ad pœnitentiam invitat.

Jerusalem mihi es infidelis ! ita Dominus conqueritur ; amore meo spreto conversa es ad creaturas ; nihilominus, "*Jerusalem*, *convertere* ad Dominum Deum tuum !"

Pari modo in novo fœdere, divinus Salvator misericordiam volens, peccatores ad pœnitentiam invitat, dicens : "*Venite ad me omnes* qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos." . . .

Nec satis est amori ejus peccatorem invitare ; sed etiam ceu ovem, quæ periit, illum *solicite quærit*, ut reducat ad pœnitentiam.

Ovem perditam quærit, Mariam Magdalenam : invenit eam in domo Simonis leprosi ; quæ conversa ad pœnitentiam, lacrymis rigat pedes Jesu, et extergit capillis suis.

Nonne *ego convincor* similem invitationem ad pœnitentiam sæpius mihi factam esse ? . . . Et quærens me bonus pastor sicut ovem, quæ periit, nonne gaudens reduxit ad ovile ? . . .

Punct. iii.

Deus peccatorem in gratiam recipit.

"Impietas non nocebit impio, si toto corde ad Deum conversus fuerit : omnium iniquitatum ejus non recordabor." (Is. xliii.)

Veritatem hanc omni solatio plenam divinus Salvator confirmat, parabolam proferens filii prodigi. (Lucæ xv.)

"Homo quidam habuit duos filios : dixit adolescentior ad patrem."

a) Causam meditor *cur peregre profectus. Vitam luxuriosam—egestatem.* Hic tristis status peccatoris est: sunt deplorandæ sequelæ peccati.

b) Adhæsit uni civium, qui misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. . . . Tanta ignominia aperit ei oculos, ut propositum faciat: "*Surgam et ibo* ad patrem meum: in *corde dolens* dicam ei: *Pater peccavi! non sum dignus* vocari filius tuus." . . .

Mea conversio an ejusmodi veræ pœnitentiæ dotes habet: Serium *propositum—animi dolorem—humilem confessionem?*

c) "Cum adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est; et accurrens cecidit super collum ejus."

Tanto amore misericors Deus suscipit pœnitentem peccatorem! *Surgam itaque* et *ibo ad Patrem* meum, et *dolens dicam* ei: "Pater peccavi. . . . Jam non sum dignus vocari filius tuus!"—PATER—AVE.

DIE V.

Loco Considerationis erit Meditatio IV.

Vere tu es Deus absconditus.

Præter obedientiam, *mansuetudinem* quoque et *modestiam* atque *simplicitatem* in vita Christi privata discimus ut imitemur.

PRÆLUDIUM I. Intuere Jesum puerum vel adolescentem cum Virgine Matre et beato Josepho domi occupatum.

PRÆLUDIUM II. Pete virtutes ei proprias: ejus modestiam, mansuetudinem, simplicitatem noscere et imitare.

PUNCT. I.

Intuere—admirare—æmulare Christi modestiam.

1. In omnimoda *compositione vultus*—corporis et animi; in aspectu, in incessu et omni motu, sine ulla inordinatione. "Non erit tristis neque turbulentus."

2. *In silentio:* Sermone parco et moderato. In modo loquendi gravi et submisso. "Non clamabit, nec audietur vox ejus in plateis."

3. *In opere* et agendi modo: ab omni otio, risu, lusu, puerilibus jocis alienissimus. Quam primum per ætatem et vires licuit, nutritium suum in labore et fabrili opere adjuvit; ut merito diceret: "pauper sum ego, et in laboribus multis a juventute mea."

Quomodo ego, socius Jesu, tale exemplum modestiæ, quam regulæ incessanter inculcant, æstimo et imitor? . . .

Punct. II.

Mansuetudinem Christi attende.

1. Sui semper similis, semper sibi æqualis, sicut vultu, ita animo semper tranquillo, ab omni inordinato motu semper abstinuit. Iram, seu vindictæ appetitum penitus ignoravit—indignationem compressit—zelum temperavit.

2. Semper comis et blandus, omnibus affabilis, neminem dure excepit, aut aspere repulit: sed potius omnes ad se lenitate et suavitate allexit; ut merito dictus sit magnes cordium, attrahens et invitans: "Venite ad me omnes."

3. Nulli omnino nocuit juxta illud: "Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet." Quin potius omnibus officiosus et beneficus, data occasione profuit; pro ratione ætatis suæ ubique benefaciendo.

Hoc exemplum mansuetudinis, ad imitationem nos provocans, divinus Magister postmodum solemni modo commendavit: "Discite a me, quia mitis sum."

Punct. III.

Vide etiam ejus amabilem simplicitatem.

1. In candore animi absque fuco, duplicitate, simulatione, sine fallacia, sicut ingenuam simplicitatem decebat.

2. In tenore vitæ communis, aliis se conformando, et pro circumstantiis, agendo quod agendum erat.

3. In horrore singularitatis et affectationis, volens fratribus assimilari in omnibus absque peccato.

4. In intentione semper recta et pura, unice quærendo et procurando gloriam Patris et ædificationem nostram.

Simplicitas dicitur rectissima ad Deum via, hanc inire et constanter post Christum et per ipsum sequi, serio cura. . . .

Hæc omnia in Christo Domino cum admiratione observa, et quantum potes, ad praxim redigere solerter conare.

In *colloquio*, B. Virgini Matri et S. Josepho de tali Filio gratulabor . . . . tum per has Christi virtutes a Patre et Spiritu Sancto earumdem spiritum humiliter petam.—PATER—AVE.

DIE VI.

Loco Considerationis erit Meditatio IV.

DE TRIBUS MODIS HUMILITATIS.

In meditatione de tribus hominum classibus intendebamus, *animi affectum* ita temperare, ut omne salutis impedimentum, sive internum, sive externum illud fuerit, a nobis amoveamus.

In præsenti meditatione, Deo adjuvante, ad illum gradum perfectionis pervenire cupimus, ut magno *animo Jesum imitemur.*

PRÆLUDIUM I. Juvenem in Evangelio ad Jesum accedentem video, et responsum audio: "Si vis perfectus esse, vade, vende omnia," etc.

PRÆLUDIUM II. Gratiam posco, ad tertium humilitatis gradum pertingendi.

Primus modus humilitatis, seu perfectionis gradus, ad salutem æternam omnino necessarius est: ut nimirum ita, quantum possibile, me humiliem, et in omnibus legi Dei ita obediam, ut, etiamsi me Dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo constituerent, aut etiam pro conservanda vita mea temporali, non inducar in *deliberationem*, aliquod mandatum sive divinum sive humanum transgrediendi, quod sub peccato gravi me obligat.

Hic gradus rationi consentaneus est, ut nempe creatura suo Creatori obediat; suamque cæcam voluntatem Dei sapientissimi voluntati subjiciat. Et ut gloriam Dei sui bonis famæ suæque vitæ anteponat.

Est nobis summe utilis: per hanc enim submissionem, veram animi pacem acquirimus; ac Dei amicitiam atque æternam felicitatem nobis comparamus.

Secundus modus humilitatis in eo consistit, ut in tali animi dispositione me constituam, ut non velim, neque magis afficiar ad habendum divitias, quam paupertatem;—ad cupiendum honores, quam ignominiam;—ad desiderandam vitam longam, quam brevem,—ubi æquale fuerit servitium Dei Domini nostri, et æqualis fuerit salus animæ nostræ. Tum etiam, ut nec pro omnibus rebus creatis;—neque eo, quod vitam mihi adimerent, *in deliberationem* veniam, committendi aliquod peccatum veniale.

a) Gradum hunc exigit Pater noster qui est in cœlis; ut nimirum filius amantissimi sui Patris voluntatem, ejusque beneplacitum cordi habeat; illudque rebus omnibus anteponens, veluti regulam actionum suarum constituat.

b) Exigit Christus Dominus; qui inordinatis affectibus et culpis nostris venialibus, sin minus crucifigitur, tamen reipsa offenditur.

Tertius modus est humilitas perfectissima. Ut nimirum cum duos priores gradus jam adeptus sim—ubi æqualis fuerit laus et gloria divinæ Majestatis—ad magis imitandum Christum Dominum nostrum, cui actu similis fieri exopto, velim et eligam potius paupertatem cum Christo paupere, quam divitias;—opprobria cum Christo saturato opprobriis, quam honores;—et magis desiderem insipiens haberi et stultus pro Christo, qui prior pro tali habitus fuit, quam sapiens et prudens æstimari in hoc mundo.

Hic est absconditus ille thesaurus; hæc evangelica illa margarita, quam tanti fecerunt sanctissimi viri; atque etiam nos ipsi, cum totos nos Jesu sacravimus, ad nostram aliorumque salutem, et perfectionem assequendam—prorsus necessariam esse existimavimus.

Itaque quicumque fertur desiderio ad hunc tertium gradum pertingendi, summopere illi proderit *tria colloquia* facere, (sicut de tribus classibus) petendo, ut Dominus noster dignetur ad hunc prætantissimum humilitatis modum eum eligere; quo propius Jesum imitetur ac perfectius ei serviat; dummodo æquale aut majus fuerit servitium; æqualis seu major laus fuerit suæ divinæ sempiternæque Majestatis.—Pater—Ave.

DIE VII.

Loco Considerationis fit Meditatio IV.

DE CHRISTI JESU DIRA FLAGELLATIONE.

Præludium I. Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit.

Præludium II. Intueor oculis fidei Jesum Christum alligatum ad columnam, et dire flagellis dilaceratum. Audio eum ingemiscentem ad Patrem suum cœlestem : "Ego autem in flagella paratus sum."

Præludium III. Perpendens veritatem verborum : "Ipse vulneratus est propter scelera nostra," agnosco gravitatem peccatorum meorum, ut sincere doleam, et Christo compatiar.

Punct. I.

Supplicii ignominia.

Quis tanta ignominia afficitur? Jesus Christus, Dei Filius, in quo Pater sibi complacuit ; quem nemo de peccato accusare potest ; qui peccata omnium nostrum tulit.

A quo corripitur? Apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit ; condemnat virum gravem, quem innocentem pronuntiaverat, turpi ac crudeli supplicio, ut impios adversarios mitiget.

Quid de hoc sentiebas, O bone Jesu ! Quid ego de hoc sentio ? . . .

Quibus traditur flagellandus? Tortoribus : ab iis denudatur et manibus vinctis columnæ alligatur, spectantibus et procaciter subsannantibus multis ! . . . Quis pudor ! quæ confusio, castissime Jesu ! His tamen omnibus acquiescit. "Ego autem in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper." An ego pariter, haud equidem innocens, sed reus et culpabilis, ita paratus sum ? . . .

Punct. II.

Supplicii crudelitas.

"A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas ; vulnus et livor et plaga tumens."

Æstimari potest supplicii crudelitas :

Ex instrumentorum seu flagellorum pondere—diversitate.

Ex instigatione diaboli et flagellantium ira.

Ex delicatissimi corporis Jesu tenera complexione.

Ex plagarum numero, quæ dinumerari non possunt.

Ex fine a Deo et Christo intento, satisfaciendi abundanter pro omnibus et singulis omnium hominum peccatis.

Intueor hoc innocens corpus ita dilaniatum. . . . Video sacrum sanguinem undique profluentem. . . . Audio strepitum ictuum, clamorem tortorum! . . . Et hæc omnia, Domine, pateris pro me—pro me peccatore! . . . Quid ego rependam?

Punct. iii.

Eximiæ virtutes patientis Domini imitandæ.

"Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus."

1. *Insignis humilitas* in servili supplicio: "Ego autem sum vermis et non homo."

2. *Invicta fortitudo* et patientia. Tanquam gigas imperterritus et rupes immota stetit.

3. *Mansuetudo admiranda.* "Cum malediceretur non maledicebat; cum pateretur non comminabatur."

4. *Silenlium mirabile:* Calumniis et plagis appetitus, tanquam agnus non aperuit os suum.

5. *Læta voluntatis suæ* cum divina *conformatio.* "Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia."

6. Hæc omnia ex ardenti amore Dei Patris sui Jesus patitur, et ex *amore nostri.*

Quam dignum et justum est, ut singulas has virtutes gratissimo animo studeam imitari! . . .

Has virtutes in *colloquio cum Jesu*, tam dire flagellis cæso, humiliter petam.—Anima Christi.

DIE VIII.

Loco Considerationis fit Meditatio II.

VITA GLORIOSA CHRISTI IN CŒLO.

PRÆLUDIUM I. Specta Christum sedentem a dextris Dei.

PRÆLUDIUM II. Pete felicitatem Christi noscere, atque ejusdem felicitatis participem fieri.

PUNCT. I.

Christus in cœlo pro meritis glorificatus.

1. Quod morti proximus dixerat, hoc idem in cœlum ingrediens iteravit: "Pater, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem; et nunc clarifica me Tu claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud Te."

2. Pater petitioni acquiescens, respondit juxta prophetiam Psaltis: "Sede a dextris meis, et ponam inimicos tuos scabellum sub pedibus tuis." Idque plaudentibus Angelis omnibus, et adorantibus eum: "Dignus est agnus qui occisus est, accipere benedictionem et gloriam."

3. Ex tunc Dominus Jesus sedet a dextris Dei, secundum humanitatem elevatus super omnem creaturam; Patris gloriæ sociatus in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio. Sedet nimirum ad perpetuam quietem post laborem; ad imperandum et judicandum.

Gratias age Deo Patri—Christo Domino gratulare—ipsum ut Deum adora—reverere ut Regem tuum—time ut judicem vivorum et mortuorum.

PUNCT. II.

Christus in cœlo nobis etiam proficuus.

1. Ut *advocatus noster*: "Advocatus habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse interpellat pro nobis:" Patri suo merita exhibens—vulnera servata ostendens. Quid non speres a tali advocato? . . . sed scito, quod non rogat pro mundo.

2. Ut *Salvator et caput nostrum*: "Vado, inquit, vobis

parare locum, ut ubi ego sum, et vos sitis;" quo præcessit gloria capitis, eo vocatur et spes corporis.

3. Ut *remunerator et judex:* "Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit." "In domo Patris mei mansiones multæ sunt," quas pro suo quisque accipiet merito: Unusquisque enim mercedis particeps erit, sicuti laboris particeps fuerit. (Juxta pactum meditationis de regno Christi.)

Punct. III.

Christus felicitatis typus et pignus felicitatis nostræ.

1. Hæc Christi felicitas est: *Vacuitas omnis mali.* "Non accedet ad te malum." Id idem nobis continget: "mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, quoniam priora abierunt."

2. Perfecta *affluentia omnis boni*, ex intima possessione Dei, et unione cum Deo. Ita nos in vita beata: "Scimus, quod cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus Deum sicut est, de facie ad faciem.

3. Status æternæ hujus felicitatis *imperturbabilis*, quam denotat sessio ad dextram Patris.—Pari modo dicitur nobis: "Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui." "Gaudium vestrum nemo tollet a vobis."

Examinabo me, quam prope Regem æternum Jesum Christum in vita mea secutus fuerim—quam viriliter cum eo dimicaverim—qua justitia ego coronam vitæ sperare possim.

Colloquium. Pete cum Christo nunc mente in cœlestibus habitare, ut detur tibi olim habitare in corpore.—Pater—Ave.

DUO TRIDUA EXERCITIORUM.

Quemadmodum Sacerdotibus, in sacra solitudine congregatis, traduntur;—vel a quolibet privatim peragi possunt.

Pridie hora quinta vespertina, exposito, ubi fieri potest, SS. Sacramento, dicitur hymnus: Veni Creator Spiritus, et datur Benedictio.

Fit præfatio ad sacra Exercitia, eorumque scopus indicatur. (pp. 11–18.) Reliqua præambula dein legantur tempore libero.

Vespere dicuntur Litaniæ et præparantur puncta matutinæ meditationis.—Mane cum expergiscar, animum mox advertam ad id, quod contemplaturus sum.

TRIDUUM PRIMUM.

Pag.

DIES I. Meditatio I. De fine hominis 31
Medit. II. Finis cæterarum creaturarum 35
" III. Malitia peccati · De triplici peccato 42
Consideratio de sublimi dignitate Sacerdotis 170

DIES II. Meditatio I. Malitia peccati in Sacerdote 50
Medit. II. Mors peccatoris et justi Sacerdotis 57
" III. Lapsus et pœnitentia Petri 65
Consideratio de zelo Sacerdotis ad exemplum Christi 174

DIES III. Meditatio I. De regno Christi 69
Medit. II. Contemplatio ad pedes crucifixi 102
" III. Contemplatio cœli 113

Consideratio de oratione Sacerdotis 177

Altera die mane pro conclusione:

Meditatio ad excitandum amorem spiritualem 117

Te Deum Laudamus, et orationes ad lucrandas indulgentias.

TRIDUUM ALTERUM.

Pridie hora quinta vespertina fit præparatio (sicut in primo Triduo).

Vespere, Litaniæ, et præparantur puncta matutinæ meditationis.— Post cubitum, ante somnum cogitem de hora, qua surgendum mihi erit, meditationis faciendæ puncta breviter animo retractans.

	Pag.
DIES I. Meditatio I. De fine hominis	31
Medit. II. Quid prodest homini, si.....?	124
" III. Destinatio Religiosi seu Sacerdotis	38
Consideratio: Sacerdos ad altare sacrificium offerens	181
DIES II. Meditatio I. De peccatis personalibus	46
Medit. II. De inferno	54
" III. De judicio particulari	128
Consideratio: Sacerdos in confessionali animas sanans	184
DIES III. Meditatio I. De duobus vexillis	91
Medit II. Vita activa Jesu Christi norma Sacerd	87
" III. Contemplatio SS. Cordis Jesu	106
Consideratio: Sacerd. in S. Cathedra Fideles erudiens	187
Altera die mane pro conclusione:	
Medit. De amore nostro erga Jesum et Mariam	121
Te Deum Laudamus.—Preces ad lucrandas indulgentias.	

Pii Sacerdotes, qui, pro perfectione propria et salute zelantes, hæc sacra Exercitia ad quinque sexve dies protrahere cupiunt, ex hisce duobus Triduis, servato ordine materiarum (p. 5), Meditationes et Considerationes sibi componant.

Octo præcedentes Considerationes pro lectione spirituali perutiliter deservient.

CONSIDERATIONES

Quæ loco meditationis hora pomeridiana assumi possunt.

DISCRIMEN INTER CONSIDERATIONEM ET MEDITATIONEM.

Hæc differentia in eo potissimum consistit: Meditatio triam potentiarum animæ exercitium est. (p. 4.) Consideratio proprie exercitium intellectus est: practicam materiam veritatum, quas pie meditamur, ipsa complectitur.

Respondet nimirum consideratio secundæ et quintæ quæstioni: quid mihi faciendum est? quæ officio habeo adimplenda, ut juxta vitæ statum, ad quem Dominus me elegit, fructum feram?

In meditatione *sermocinatio nostro cum Deo fit*, cujus magnitudinem et providentiam adoramus et admiramur—bonitatem laudamus—excellentiam reveremur—supremum dominium fatemur, eique nos devovemus obsequii — pro acceptis beneficiis grates rapendimus, novasque gratias imploramus—pro peccatis veniam poscimus.

In consideratione *ipsi nos nobiscum colloquimur:* nosmetipsos inspicientes, consideramus et inquirimus, quid nobis desit? quid faciendum, ut ad finem feliciter pertingamus? Agnoscimus officia, quæ habemus; talenta quæ accepimus, quot superlucrati simus; ac firmiter, implorata Dei gratia, statuimus, damnum et defectus reparare.

Elucet inde, quanti pretii sit *consideratio*, quæ solet fructum tum meditationis velut ad maturitatem perducere.

Nihil tamen obstare poterit, quominus materia, quam pro consideratione assignavimus, etiam pro meditatione (adhibita meditandi forma) inservire possit.

Atque apprime congruum ac perutile foret, si ex supra præmeditatis veritatibus, et sequentibus considerationibus unum punctum pro meditatione per semi horam indies assumeretur.

CONSIDERATIO I.

Potissimum quod in suis Exercitiis spiritualibus intendit S. Ignatius, illud est : ut sanctam indifferentiam in cordibus stabiliat ; — ut totos nos divinæ dispositioni et voluntati tradamus.

Super hac *conformitate* considerationem instituimus.

I. Quam *necessaria*.—II. Quam *nobis proficua* talis *conformitas*.—III. In *quibus rebus exercenda*.

Punct. I.

Fides nos docet : Deum cuncta sapienter regere ; nihil, Deo non volente, accidere : Ille est qui exaltat et qui humiliat. "Omnia iis, qui diligunt Deum, cooperantur in bonum."

Inde elucet *necessitas*, ut in omni re, juxta Dei beneplacitum, nos totos divinæ ejus gubernationi tradamus.

a) Deus enim *supremus Dominus est*, qui in cœlo et in terra cuncta sapienter gubernat ; cui omnia subdita sunt.

Ille me in sui servitium creavit : illi juxta sanctam suam voluntatem servire teneor.—Angeli in cœlo hanc Dei voluntatem adimplent ; quorum alii in tutelam principum ; alii in tutelam pauperum destinantur ; sunt enim administratorii spiritus.—Res creatæ super terram dispositionem Dei constanter perficiunt, quin unquam a destinatione sua aberrent. Sol illuminat et terram calefacit, sicut ab initio.

Itaque necesse est, ut, quod creaturæ ex necessitate, juxta leges physicas perficiunt, homo, cui Deus intellectum et liberam voluntatem impertivit, id libenter faciat, cum perfecta indifferentia se Dei ordinationi subjiciens ; ut ita fructum afferat, et pro salute æterna, qui finis noster ultimus est, hic fructus maneat.

In omni re, sive prospera sive adversa, cum fiducia et resignatione dicamus : Dominus est : quod placitum est in oculis ejus, fiat.

b) Non solum Deus supremus Dominus ; sed insuper *amantissimus Pater est*. Ipsi nostræ indigentiæ notæ sunt. Ipse, quæ mihi ad salutem proficua, quæ nociva sunt, optime novit ; disponit omnia fortiter atque suaviter. Itaque justum, imo necessarium est, ut me totum ipsi tradam gubernandum.

Nos, quæ naturæ arrident, sæpe desideramus: sanitatem, prospera, honorifica. . . —Novit Dominus nos hisce donis in detrimentum animæ usuros esse; propterea aufert illa nobis, volens nos salvos facere, atque occasionem præbere, ut in humilitate, abnegatione, mortificatione nos exerceamus, ac ita coronam immarcescibilem mereamur.

c) Deus pari modo *justus est:* defectus et iniquitates nostras punit, quando et quomodo vult; semper ut pater, ne in altera vita punire cogatur.

Infidelitatem nostram in suo servitio punit, peculiares suas gratias abstrahendo.—Tentationes permittit, vel immittit tribulationes: sinit nonnunquam, ut integræ communitates justam pœnam sentiant, ut spiritus in illis renovetur; ut in humilitate exerceantur; in amore erga Deum et filiali fiducia incrementum capiant.

Cogitare forsitan aut dicere quis posset: lubens me voluntati Dei submitterem, si mala, quæ patior, a Deo mihi immissa esse, cognoscerem;—sed ego ipse afflictioni qua tribulor, causam dedi;—aut sunt homines maligni, qui me persequuntur et calamitatibus inique opprimunt.

Bonum profecto tibi erit, si agnoveris, te ipsum malo quod pateris, causam dedisse. Deus propterea hæc super te venire permisit, ut tuam culpam agnoscens, humilieris et te emendes. Humilitas in defectibus sane Deo gratior est, quam superbia in optimis operibus.

Si alii causa malorum sunt, unde affligimur et humiliamur, illi peccant;—equidem Deus peccatum non vult; at vero nobis calicem porrigit, volens ut cum resignatione illum bibamus.

Punct. II.

Quam nobis proficua hæc conformitas.

Tota perfectio nostra in amore Dei in eo consistit, ut Dei voluntati nos integre tradamus, id unice volentes, aut nolentes quod Deus vult, aut non vult. Hæc nostræ voluntatis oblatio sacrificium est Deo gratissimum; "Fili!" ait Dominus, "redde cor tuum mihi," id est, ipsam tuam voluntatem.

Cuncta opera nostra, etiamsi optima, duntaxat media sunt, quibus voluntati Dei nos conformemus; ac unice valorem

habent, si cum voluntate divina, sicut Deus id a nobis exigit, rite congruant.

Quis autem pro incolumitate nostra atque salute æterna majorem curam impendere potest, ac reipsa vult, quam Deus? Ipse se cum pastore comparat, qui oviculam perditam sollicite quærit, et inventam portat ad ovile.—Comparat se cum Matre, quæ prolis suæ oblivisci nequaquam potest. Etiam cum gallina se comparat, quæ pullos suos sub alas colligit et defendit.

Quam justum igitur, nobisque proficuum contingere debet, si totos nos Dei voluntati relinquamus, et tradamus gubernandos!

Stolidus profecto foret cæcus, qui ad oram præcipitii incedens, ab amantissimo parente se duci non sineret.

Insuper quam dulcis pax cordis ex conformitate hac enascitur! Dum nihil aliud desiderat anima nostra, quam quod Deus vult, tunc omnia illi ex voto et beneplacito succedunt; quoniam cuncta, quæ in mundo accidunt, juxta voluntatem Dei fiunt.

Talis anima semper in pace permanet: sive prospera fortuna gaudeat, sive sorte iniqua prematur; pacato animo effatur: "Dominus est: quæ placita in oculis ejus fuerint, fiant."

Domino gratias agere in adversis, inquit Ven. Avila, majoris valoris coram Domino est, quam millenæ actiones gratiarum in prosperis.

Punct. III.

In quibus rebus hæc conformitas exercenda.

a) In primis plurimum prodest, si *in rebus exiguis*, quæ nobis obvenire solent, nos Dei voluntati conformemus: ejusmodi res, uti sunt parva contradictio, mortificatio, frequentius accidunt; unde consuetudinem acquirimus, etiam in gravioribus nos vincendi.

b) Relate *ad munera et labores*, quæ nobis injunguntur: ea omnia propter obedientiam tanquam a manu Dei suscipiamus; numquam nos ipsi quidpiam quæramus, aut sponte nos ingeramus. Ubique, in omni officio, cruces occurrunt ferendæ. Si id agamus, quod Deus a nobis exigit, dulci pace fruemur.

c) *Quoad dona et talenta*, quæ a Deo accepimus : Deus juxta suum beneplacitum gratias et dona distribuit : uni quinque talenta, alteri duo vel unum tradit. Ille servus fidelis et bonus est, qui cum talentis, quæ a Domino accepit, totidem lucrari conatur.—Non pauci sunt, quibus illustria dona, quæ gratis acceperunt, in suam perniciem deserviunt.

d) *In doloribus quoque et infirmitate* Dei voluntati conformes nos exhibeamus : illæ adversitates non minus dona sunt quam sanitas.—Profecto deplorandi sunt illi, qui impatienter infirmitates suas tolerant ; tales propter suam impatientiam et querimonias nulla merita colligunt, nec dolores alleviant.

e) Tum etiam in spirituali *ariditate ac derelictione*, Dei circa nos dispositioni acquiescamus ; certo persuasi simus, quod omnia cooperentur in bonum iis qui diligunt Deum, qui faciet cum tentatione proventum ; qui tempore præfixo rore cœlestis gratiæ humectabit animam, et dabit lætitiam in corde nostro.

Semper et ubique, cum S. Ignatio, Deum precemur : Guberna, Domine ! sicut scis et vis, nam scio quod amator sis.

CONSIDERATIO II.

DE TEPIDITATE IN DEI SERVITIO.

Fœditatem ac gravitatem peccati atque propriam nostram malitiam, si voluntate deliberata peccamus, hac secunda die meditamur ; unde mens nostra, horrore et timore perculsa, lacrymis pœnitentiæ peccatum in se delere satagit, ac firmum facit propositum, non peccandi de cætero.

Unum quod *hoc propositum* irritum facit, est *tepiditas :* hanc superare et tollere necesse est, si velimus ad Deum reverti, et salutem æternam comparare.

Consideremus I. Signa tepiditatis.—II. Tristes ejus sequelas.—III. Media inquiramus, quibus ab hoc malo liberemur.

Punct. I.

Signa Tepiditatis.

Aqua dicitur tepida, quæ aliquid caloris simul et frigoris continet.—Ita pariter anima dicitur tepida, quæ bonum operatur, sed negligenter et imperfecte.

Quis autem huic malo tepiditatis magis obnoxius est, quam persona religiosa, sive Sacerdos Deo consecratus, cui gravia ministeria, et oves pascendas tradidit Dominus?

Hi omnes juxta sanctam vocationem, qua a Deo electi sunt,—juxta præscriptas regulas, et officia, quæ habent implenda, multa bona operari videntur; at vero, si sine interno spiritu et zelo agentes, potius ut suo muneri satisfecisse videantur,—perfunctorie ea absolvant, tales coram Deo tepiditatis rei sunt.

P. Claudius Aquaviva signa quædam tepiditatis in sua epistola de renovatione spiritus his verbis enumerat:

Orare et meditari divina sine animi sensu et fructu.

Ægre se colligere;—raro ad cor redire.

Cogitata sua, dicta et facta sine emendationis proposito obiter perscrutari.

Religionis disciplinam, olim suavem, ægre ferre.

Muneris sui opera ægre, cum fastidio, implere.

In animarum zelo languere et deficere.

In res externas, tædii vitandi causa, libenter effundi.

Solatiola a rebus creatis studiose emendicare.

Liberius obloqui;—aliena dicta et facta carpere.

Honorifice ab omnibus et indulgenter tractari velle.

Immunitates et commoda singularia postulare.

In animum inducere, se plus æquo laborare.

Nihil esse, quod non sibi debeatur.

Hæc et similia vitia et defectus tepiditatem animæ satis aperte manifestant.—Videat Religiosus et hæc tepiditatis indicia toto animo detestetur; et si reum se cognoscat, implorata Dei gratia, se corrigat.

Punct. II.

Tristes Sequelæ Tepiditatis.

"Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo." Apoc. iii. 15.

Animæ tepidæ solet Deus singulares suas gratias auferre: admodum liberalem et bonum erga eos se Dominus ostendit, quos liberales erga se experitur: at vero anima tepida parcam et avaram se erga Deum exhibet. Inde potius maledictionem meretur, sicut apud Jeremiam legitur: "Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter" id est negligenter; tepiditas enim etiam ipsa opera bona quodammodo in malum vertit, atque ita ipsa viscera bonitatis divinæ aliquo modo lædit.

a) Deus sensim intermittit (quali modo antea solebat) dona sua et gratias animæ tepidæ impertire:

Cessant illæ illustrationes in fide; sancta illa desideria, et spiritualia solatia; inde torpor in anima exoritur, ut solitas preces, sacras visitationes, piasve meditationes incipiat omittere; vel cuncta hæc, adversa voluntate, animo distracto, inquiete potius quam devote; non sponte sua sed coacte persolvat.

b) Permittit Deus, tales animas tepidas in graves tentationes incidere, quibus, utpote singularibus gratiis destitutæ, facile succumbunt et graviter peccant.

Contrarium ex eo, quod S. Bernardus de fervente Religioso effatur, ejusmodi tepidis Religiosis solet accidere, nimirum: Religiosus in sua tepiditate vivit incurius—cadit frequentius—surgit a lapsu tardius—incedit periculosius—quiescit turbatus—rore cœlesti irroratur parcius—moritur timidius—salvatur difficilius—et, nisi resipiscat, mercede æterna carebit.

c) Tales animæ tepidæ omni solatio destitutæ vivunt; Solatio interno carent; nec aliunde ab extra accipiunt. Similes filiis Israël in deserto, qui manna cœleste fastidiebant, ad ollas Ægypti, seu sæcularia gaudia, anhelant.

d) Tandem, "qui spernit modica, paullatim decidet:" Religiosus tepidus fere cuncta, quæ sunt status sui et vocationis flocci pendit; jam nihil tanquam essentiale ordinis existimat: Tendere ad perfectionem—statuta et regulas obser-

vare—Orationi vacare—horam meditationis et examina conscientiæ peragere, pro nihilo ducit. Inde lapsus et tandem ruina.

PUNCT. III.

Media, quibus a Tepiditate Liberamur.

1. Quilibet religiosus sive Sacerdos frequenter cum Sancto Bernardo semetipsum interroget: Bernarde, ad quid venisti, cur sæculum reliquisti? . . . Cur grande illud munus, fungi Sacerdotio, suscepisti? . . .

2. Sæpe in memoriam ducamus præclara et fervida sanctorum prædecessorum nostrorum exempla: quanto illi spiritu fervebant; Deo serviebant, et orationi instantes erant;—quantopere juxta vocationem, qua vocati erant, digne ambulare, cordi habebant.

3. Plurimi faciamus *media*, quibus, divina aspirante gratia, ab hoc tepiditatis malo secure liberemur:

a) Fervens concipiamus desiderium, ut ab hoc deplorando animæ morbo evadamus incolumes;—Deum oremus suppliciter ut tale desiderium nobis dignetur elargiri.

b) Anima omnem curam et sollicitudinem impendat oportet, ut vitia sua et quotidianos defectus, præsertim passionem prædominantem, quæ solet esse: Superbia—amor proprius—ardor placendi—sensualitas—torpor et ira, recte cognoscat et observet.

c) Ut agnitum errorem animose impugnet; occasionem ejusdem devitet; oppositam virtutem exerceat.—Tum super illo examen particulare, juxta methodum Sancti Ignatii, diligenter instituat.

d) Firmum denique stabiliat emendationis propositum; parum quidem sibimetipsi fidat, at vero in Deo adjutorium omnem fiduciam collocet, et humiliter Deum oret.

"Orate et dabitur vobis;" si in oratione instanter perseveremus, certam victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum reportabimus.

Itaque cum Psalte regio viriliter statuamus: "Persequar inimicos et comprehendam illos: et non convertar, donec deficiant." Ps. xvii. 38.

CONSIDERATIO III.

DE CAUSIS RUINÆ SPIRITUALIS VIRORUM RELIGIOSORUM.

Grandem malitiam peccati meditati sumus ; quæ fit tanto gravior, si a Sacerdote Deo consecrato, vel a Religioso qui votis se Deo obstrinxit, committatur.

Juvat considerationem instituere, quæ causa esse possit tantæ eorum ruinæ ; ut cognoscamus, quomodo, qui stare videbantur, adeo misere, ceciderint, et fiamus aliorum periculo cauti.

Nec Religiosi nec Sacerdotes Domini, etiamsi pluribus salutis mediis instructi sint, se *umquam securos* putent aut *immunes a lapsu ;* nisi sibi jugiter invigilent, caute ambulent, et vim sibi incessanter inferant.

O quot, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora, et miserrime corruerunt ! . . Horum tristi exemplo ut sapere discas, perpende causas tam deplorandæ ruinæ spiritualis, et rite perspectas solerter devita.

Prima Causa ruinæ spiritualis Religiosorum, sive Sacerdotum ea est, quam adumbravit Christus in ædificata domo super arenam sine fundamento ; cujus ruina facta est magna postquam descendit pluvia, venerunt flumina et flaverunt venti.

Causa nimirum ruinæ est, non jactum in alumnatu aut novitiatu religiositatis *fundamentum :* non obfirmatum cor pura illa intentione, Dei gloriam et animarum salutem procurandi ;—non radicatus horror peccati, præsertim mortalis ;—non abstractus a sæcularibus desideriis animus ;—non impressæ cordi veritates æternæ ;—non stabilita rerum spiritualium æstimatio ;—non deducta in usum interna atque externa mortificatio ;—sub exteriore tantum modestiola conservati adhuc igniculi mundani, qui ob perpetuam Superiorum vigilantiam sub cineribus latent, ne palam erumpant.

Sed vix miser Religiosus ex tirocinio suum pedem extulit, aut ex alumnatu Clericus ; ecce idem qui fuit ante Religionis ingressum comparet, et interdum pejor ; hinc sensim deterior evadit, sæculariscit, ineptus redditur religioni, aut indignus qui intret ad altare Dei.

Vir religiose ! si coram Deo, judicas te solidum hucusque

fundamentum non posuisse, nunc manum operi admove. Ecce nunc tempus Exercitiorum est tempus acceptabile! Optime nosti, quid a te requirat Deus, qui te ad hunc statum elegit; quid conscientia, religio, institutum postulet.

Altera Causa ruinæ spiritualis est, quam Christus objecit Angelo, seu Episcopo Ephesinæ Ecclesiæ, dicens: "Habeo adversum te, quod *charitatem tuam primam* reliquisti." Apoc. ii. Causa ergo est recessus a primo novitiatus fervore, seu intepescentia, orta præcipue ex infructuoso orationis ac meditationis usu, dum ad eam præparatio aut male fit aut negligitur. Sic dum in meditatione non exardescit ignis, noxie tepescit animus, tædium atque fastidium rerum spiritualium introducitur; vita ipsa religiosa desipit: ad ultimum teporis gradum devenitur, et ruina subsequitur.

Zelo domus Dei et sanctæ suæ vocationis Sacerdos Domini initio vitæ suæ spiritualis complebatur. Quanto studio tunc ad spiritualia exercitia incumbebat; quanto spiritu, qua vi amoris, humilitatis, et angelicæ puritatis tunc sacra ministeria obibat, et Missæ sacrificium celebrabat!—qua animi recollectione et devotione preces et diurnum officium absolvebat; quæ reticentia in sermone, gravitas in incessu, modestia in omni opere elucebat; quanta cautela ab omni occasione et periculo, ubi innocentia sua naculam contrahere potuisset, se procul tenebat! . . . *Primam hanc charitatem* et devotionis stimulum reliquit, et sensim exercitia spiritualia negligens, ad tepiditatem devenit.

Cave tibi, vir religiose, ab hac causa ruinæ: et ita obfirma animum, prout obfirmaverat princeps theologorum P. Franc. Suarez, qui dicere solebat: se malle totam scientiam suam perdere, quam horam unam orandi consuetam intermittere.

Tertia Ruinæ Spiritualis Causa est effusio ad externa et captatio ultronea distractionum, conversationum, solius tædii vitandi causa; ingerendo se in negotia non necessaria, ex officio non debita, sponte et non ex obedientia. Per talem ad exteriora effusionem dissipatur spiritus;—interna negliguntur; in via Dei non proficitur sed deficitur, atque in ruinam itur. Solitudo religiosa talibus fit tædiosa: optant ubique adesse, cuncta audire et videre. Interim mors spiritualis per sensus tamquam per apertas fenestras intrat in

animam, et ruinam spiritualem perficit. "Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit." Os. vii. 9.

Vir religiose, attende tibi et muneri, quo fungeris. Est, quod agas circa animam tuam; æternitatis negotium heu quantum et quale! . . . Age, quod est officii tui; cætera Deus a te non requirit.—Si cogeris ad exteriores occupationes, commoda te illis, non dona; tecum autem intus habita; cubiculum ama, et amabit te amator solitudinis Jesus Christus.

Quarta Ruinæ Spiritualis Causa est similis illi ob quam corruit Lucifer: superbia nimirum, appetitus excellentiæ propriæ defectusque humilitatis; ex quo oritur æstimatio sui ipsius—fuga omnis contemptus, jactatio doctrinæ aliorumque talentorum—desiderium ac procuratio prælationis supra alios—officiorum honoratiorum;—indignatio dum alii præferuntur ad res magnas gerendas, ad altiora docenda. Ex indignatione oritur amaritudo animi, vita insipida; tandem infelix ruina.

Sacerdos Domini, pro eo, ut in humili agnitione dignitatis, ad quam Dominus evexit eum, profiteretur: "fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus," complacet sibi in talentis suis; elevatur cor ejus in decore suo;—Deus autem, ut pro superbia illum puniat, permittit ut perdat sapientiam in decore suo, et opprobrium sibi inducat. Est etenim superbia origo omnium criminum, ruina cunctarum virtutum.

Quinta Causa Spiritualis Ruinæ est: "Qui spernit modica paullatim decidet (Eccl. xix. 1), quod nimirum Sacerdos sive Religiosus parvos errores parvi pendat et spernat.

Libenter admittimus, nec dubitamus, ab omni peccato gravi, etiam a deliberatis peccatis venialibus eos abhorrere;—si vero non omni cura ferantur, ut juxta consilium Apostoli, ab *omni specie mala* se abstineant; si leviter modica spernant, immemores, quod parva scintilla magnum incendium quandoque excitet; facile accidet, ut in gravia peccata labantur et corruant.

Sexta Ruinæ Religiosorum præsertim in Societate nostra causa est fortis persuasio, qua putat Religiosus, se posse salvari etiam extra religionem in sæculo; et quidem ibi se utiliorem fore Ecclesiæ Dei, aut ad minimum æque ac in religione utilem . . . Hæc est deceptio diaboli admodum peri-

culosa. Verum quidem est, te posse salvari in sæculo; sed non salvaberis propter præcisum prædestinationis filum . . . Quis es tu, ut Deus se tibi accommodet circa vitæ statum—et non tu Deo?—Putas te fore utilem Ecclesiæ Dei; et tu radicem omnis boni, voluntatem Dei deseris! . . Putasne lusisse tecum Deum, qui te ad religionem vocavit?—Putasne ad inconstantiam tuam Deum mutaturum seriem prædestinationis suæ circa te?

Sta igitur firmus in gradu tuo, confidens in Domino, et minime corrues.

CONSIDERATIO IV.

DE PASSIONE PRÆDOMINANTE SUBJUGANDA.

Peccatorum sordibus rite abstersis, pius Exercitans hac IV. die se totum ad Deum convertit ac firmiter statuit, vestigiis Jesu Christi inhærere, qui sapientia a Deo, factus est nobis via, veritas et vita.

Propterea necesse in primis est, ut passionem in se prædominantem virili animo debellet. Considerabimus: I. Quæ indoles hujus passionis.—II. Quomodo se exerit.—III. Quibus mediis subjugatur.

Punct. I.

Licet peccatum summo odio detestemur et vitare firmissime statuamus, propositum tamen hoc nostrum effectum numquam consequetur, quamdiu passionem in nobis prædominantem extirpare non cœperimus.

Hæc est tortuosus ille coluber, qui calcaneo nostro subdole insidiatur; qui, quo lenius habetur, eo magis insolescit et sævit. Ideo monet Ecclesiastes: "si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis."

Funestam indolem hujus passionis perspectam habe. Hæc omnium ab orbe condito criminum infelix causa et scaturigo fuit. Hæc Cain ad fratris sui necem—Salomonem ad idolorum cultum—Herodem ad lanienam infantium—Judam ad

proditionem divini sui Magistri concitavit. Imperans hominum animis ambitio, invidia, avaritia, luxuria ad tanta illos scelera abripuit et mundum corrupit.

Arma considera, quibus illa communiter uti solet:

a) *Astutia versipellis.* Induit omnes formas ut incautos decipiat; depingit ut licitum quod vetitum est; imo et virtutis se larva tegit; nunc zelum esse, nunc charitatem mentitur: profusionem pallio liberalitatis solet obtegere: iram et vindictæ studium pallio justitiæ: superbiam et ambitum pallio generosæ indolis, etc.

b) *Amabiles blanditiæ;* cum enim sit hostis, qui nobiscum quasi adolevit; tam scite novit captare tempora et tam suaviter influere, animumque nostrum demulcere, ut sine eo, quod suadet, vitam nobis gravem; cum hoc vero amœnissimam, existimemus, remordeat licet conscientia. Sed hoc ipsum est, quod ejus debellandi necessitatem evidenter probat.

c) *Pertinacia.* Non enim quiescit. Una de nobis relata victoria, iterum iterumque insurgit; evadit tandem tam pertinax, ut efficacissima illum perdomandi media interdum eludat. Veritatem hujus asserti in Jona intueri licet: Prophetæ hujus animum inordinatus proprii honoris amor inuserat. Jubetur a Domino ire in Ninivem civitatem magnam et prædicare in ea pœnitentiam: timor perdendæ aut minuendæ suæ famæ, nisi prædictioni eventus respondeat, eum compulit ire in Tharsis, ut fugiat a facie Domini. Cum graviter correptus esset, verbum Domini secundo ad eum fieri debuit; tunc primum surrexit et abiit Ninivem. Nec hic stetit obstinati animi malum; cum enim ejus hortatu promoti Ninivitæ, conversi essent a via sua mala et Deus eorum misertus urbem non subverterit, metuens Jonas, ne ob non secutam urbis ruinam, quam prædixerat, falsus Propheta audiret, iratus est adeo, ut mori potius, quam vivere maluerit. En effrænem passionis prædominantis pertinaciam.

Punct. II.

Quod si nosse cupis, quæ sit illa in te dominans passio, modos suppedito, quibus illam ab aliis discernere discas.

1. *Modus est;* Diligenti examine perscrutari, cujusnam rei amor vel odium—desiderium vel fuga—spes aut timor te communiter pelliciat ad committenda illa peccata quæ

ordinaria confessionum tuarum materia esse solent. An non cupido honoris, proprii commodi? an non horror subeundi laboris, molestiæ, contemptus, etc.? Facili negotio deprehendes scaturiginem ex qua quotidiana nostra peccata profluunt: ex superbia promanant jactantia et ostentatio — alienæ famæ invidentia, obtrectatio, ambitus, odia, rixæ: ex horrore subeundi labores oriuntur acedia, gula, mendacia, murmura, ac graviores votorum transgressiones.

2. *Modus.* Attende, quanam de re frequenter cogites, quænam res potissimum te tristem aut lætum et cupidum reddat. Sic, v. g. qui sensuum et corporis oblectamenta plerumque cogitat; vel quem timor invaletudinis, aut molesti muneris vehementius angit; qui aliorum defectibus facile turbatur, signum est dominari illi amorem proprium, omnia incommoda aversantem, suisque commoditatibus nimis avide inhiantem.

Contra si quis non nisi honores et applausus somniet; si quem successus disputationis, concionis, alteriusve negotii nimis sollicitum habeat; si quis officia aut loca minus honorifica fugiat;—huic ambitionem dominari, palam est.

3. *Modus.* Adverte ad tacita quædam indicia, quibus se prodere solet. Sic, v. g. passio dominaus solet se in omnes, saltem præcipuas actiones ingerere, easque si non imperare, saltem promovere;—solet hominem ita fascinare, ut illam mire præ aliis foveamus, excusemus, et potius cujusvis alterius, quam hujus reos nos argui patiamur. Superbus, e. g. (quod de omni alia prædominante passione intelligendum), in omnibus sibi satisfacit et complacet; cuivis colloquio aliquid ad sui laudem immiscet;—ipsos errores dextere in suam commendationem detorquere novit. Si ebriosum, avarum, invidum illum dicas, lenius feret quam si arrogantem illum voces aut judices.

Examina te secundum hos modos; et quæ sit in te passio prædominans, facile deprehendes.

Punct. III.

Media passionis prædominantis subjugandæ, sunt:

1. Ipsis appetituum initiis mox obsistere, eosque quam primum se extollunt, serio reprimere. Chrysostomi est hoc monitum, dicentis: "Quando parvam animi perturbationem

susceperis, ne eam neglexeris, quod parva sit ; sed considera, quanta mala parere possit, nisi mox supprimatur.'' S. Dorotheus ait : ''Qui in initio vim sibi fecerit, atque pugnando perstiterit, multum sane proficiet, et deinceps pace bona et quiete perfruetur.''

2. Providere vigili oculo occasiones, quibus appetitus illi effervescere solent, ac contra eorum insultus nos prævie obarmare. Ita suadet S. Ambrosius : ''Cavere debemus, ait, ne in perturbationes prius incidamus, quam animos nostros ratio componat : exanimat enim mentem plerumque aut ira aut dolor aut formido ; quia improviso percellunt ictu ; ideo prævenire pulchrum est cogitatione, ne mens imparata repentinis infestetur commotionibus.''

3. Investigare causas vitii et illas e medio tollere. Abbas Serapion hac similitudine utitur : ''Facilius cujuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exarescit, si antea radices ejus, quibus innititur, vel nudatæ fuerint vel succisæ.'' Sic, v. g. quia superbia ex nimia sui æstimatione oritur, valde proderit, hanc frequenter vivaci sui nihili, suæ infirmitatis, suorum peccatorum consideratione retundere.

4. Examen particulare super hac passione ex præscripto S. P. N. Ignatii diligenter et accurate instituere.

CONSIDERATIO V.

DE FUGA OTII.

Scopus hujus V. diei est imitatio Jesu Christi.

Toto cordis affectu nos Regi nostro Jesu Christo adjunximus ; exemplum sequi statuentes, quod, ante nos præcedens nobis dedit ; et conditionem implere, ut in laboribus, vigiliis et certaminis incommodis illum imitaremur.

Quam turpe foret et ignominiosum, sub tali Rege *otio indulgere*.

Consideramus : I. *Gravitatem* hujus vitii.—II. *Jacturam* inde emanantem.—III. *Periculum* quod causat otium.

Punct. I.

Otium est *vitium gravius* et magis universale, quam primo forsitan intuitu videatur. Plerique enim putant, se tunc tantum otiari, cum ab omni labore ita vacant, ut nihil omnino agant. Sed gravis est iste error, et religiosis præsertim mentibus, si quibus insideret, necessario eximendus. Non enim solum agere nihil, sed etiam, alia ab iis agere quæ nobis facienda sunt; etiam inutilia agere vel, agere male quod agimus, talia sunt, quibus *otii nomen* jure tribui potest.

Datur et aliud otii genus, quod mentale non incongrue dicimus; quando quis mentem operibus, quæ exequitur, aut omnino non, aut tam parum applicat, ut ad alia potius omnia eam evagari pro libitu sinat. Atque hæc quidem, cum verissima sint, quis non videt, quam longe et late hoc vitium extendatur.

Sive enim spectemus finem creationis nostræ primarium, sive finem temporis nobis a Deo benigne concessi; qui aliud agunt—vel inutilia aut male agunt, agere omnino nihil, et coram oculis Dei et hominum prudentum vere otiari dicendi sunt; quia vel ad scopum sibi præfixum non tendunt, vel plane ab illo aberrant. Porro plurimos ejusmodi inveniri, quorum vita dici potest otiosa, utinam non etiam viros Deo sacratos, ultra dubium est.

Quot enim, vel inter ipsos viros religiosos reperiuntur, qui magna diei parte se negotiolis suæ vocationi non conformibus, vel inutilibus occupant? qui neglectis vel deproperatis functionibus suis spiritualibus, alia omnia frequentius et libentius agunt, quam quæ ex officio agere deberent?

An non hi, spectato creationis suæ fine, imo spectato fine ipsius temporis in profectum nostrum spiritualem nobis concessi, vere otiari censendi sunt, dum illud non pro servitio Dei, non pro salute sua vel proximi, non pro agenda pœnitentia et colligendis meritis, ut deberent, sed inutiliter impendunt? . . . Percurre ordinem tuum diurnum et solerter indaga, an non etiam et tu ex horum numero es; et serio propone, non defraudari imposterum a die bono.

PUNCT. III.

Jacturam ex otio emanantem si rite consideremus, de gravitate hujus vitii magis adhuc convincemur.

1. S. Bernardus otiosum non immerito insipientem appellat, eo quod sibi ipsi maximum damnum inferat. "Volat tempus irremeabile, inquit, nec advertit insipiens, quid amittat;"—hæc verba grandem hominis otiosi jacturam satis clare manifestant. Otiosus perdit enim *primo* tempus, quod ab arbitrio nostro nullatenus dependet, eo quod tempora et momenta Pater cœlestis in sua solius potestate posuit; donum Dei mere gratuitum, donum pretiosissimum et inæstimabile, quod juxta effatum S. Bernardi tantum valet, quantum Deus. Perdit tempus alioqui breve nec revocabile unquam nec compensabile; quod, si non illico apprehendas, dum adest, amplius licet velis, uti illo non poteris: velocius enim omni sagitta, omni cogitatione prætervolat, nec ullum vestigium relinquit.

2. Otiosus perdit omnia bona, quæ per bonum usum temporis obtinere potuisset et debuisset; et quidem non terrena, sed longe altioris ordinis bona, quorum intuitu illa fere evanescunt; qualia sunt: gratiæ augmentum et cœlestis gloriæ; etenim fide certum est, quod per quodlibet bene impensum momentum, novum gratiæ et cœlestis gloriæ gradum, consequenter per longius tempus immensos thesauros pro altera vita promereri possimus. Idcirco recte S. Hieronymus ait: "Minima temporis particula est pretium æternitatis;" quia per hujus bonum usum cælestia, æterna bona, bona quæ possessionem ipsius Dei summi et infiniti boni comprehendunt, emere possumus.

Hinc consequitur, perdere te tot merita, tot coronas pro cœlo, tot gradus gloriæ, quot tempuscula perdis; imo facile perdere te posse, si otiari pergas, spem cœli unquam obtinendi; quoniam, ut inquit S. Prosper, non otiosis, aut dormientibus provenit regnum cœlorum. . . . Quanta hæc jactura! quantum damnum!

Punct. III.

Considera denique, quam *periculosum etiam sit otium*.

1. Otiositas est mater nugarum, inquit S. Bernardus, est noverca virtutum. Generat enim Religioso fastidium erga fratres, tædium erga exercitia spiritualia, et alia opera, quæ secundum obedientiam obeunda forent. Et quia erga hæc parum afficitur, in rebus inutilibus solatium aucupatur: quærit occasiones frequenter foras prodeundi; captat occasiones conversandi cum sæcularibus; indagat in rumores, et dum his nugis occupatur, extinguitur spiritus, refrigescit proficiendi in via Domini desiderium, et omnis virtus sensim languet enervata.

2. Otiositas est mater fecunda multarum tentationum. Sicut stagnum, ait Hugo a S. Victore, abundantiam nutrit piscium, sic otiositas multitudinem cogitationum. S. Bernardus ait: "Omnium tentationum et cogitationum malarum colluvies est otium, malorum omnium sentina, mors animæ." S. Augustinus non solum id ipsum docet, sed etiam plures harum tentationum, quas gignit otiositas, studio enumerat.

Novit id bene S. P. Ignatius, et ideo speciali lege suis cautum voluit, ne otium domi nostræ locum habeat. Olim a Patribus in deserto sancita erat sententia: Operantem monachum ab uno dæmone pulsari; otiosum ab innumeris spiritibus devastari.

3. Otiositas est nutrix et magistra criminum. Effatum est Spiritus Sancti: "Multam malitiam docuit otiositas." Et ab Ezechiele depravatio Sodomitarum partim etiam otio adscribitur: "Hæc fuit iniquitas Sodomæ: Superbia, saturitas panis et otium." Si experientiam et historias consulas, an non otium erat origo et primaria causa lapsus Evæ, gravis peccati Davidis, idololatriæ in populo Israëlitico? . . . Hunc certe esse communem ei naturalem otii effectum SS. Chrysostomus et Bernardus pulchra similitudine probant: "Sicut aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis putrescit; ita et corpus otii tabe confectum, insaniam parit voluptatum carnalium." Aut, sicut terra non occupata semente quamlibet herbam producit; sic et anima, quoties non habet quod agat rerum necessariarum, pravis actionibus semet tradit.

Hinc S. Augustinus concludit terribili hoc epiphonemate:

"Numquam quis civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit," —quoniam, ut vidimus, nulla in otiosis pro cœlo merita, sed copiosa plerumque demerita inveniuntur.

CONSIDERATIO VI.

DE CONVERSATIONE CUM PROXIMO.

In sequela regis et Ducis nostri Jesu Christi arcte nos obstrinximus, non unice virtutes vitæ ejus absconditæ, sed etiam actiones imitari, quas pro gloria Patris sui, et salute proximorum palam exercuit. Pia conversatio cum proximo, ad lucrandas animas, nostræ quoque vocationis est.

Considerabimus, qualem illam esse oporteat; ne vel statui nostro maculam inurat, vel ipsi animæ nostræ noceat.

Tres regulæ observandæ: I. *Conversatio sit prudens et modesta.*—II. Sit *seria et de rebus utilibus.*—III. *Charitatis mutuæ studiosa.*

I.—Conversatio sit prudens et modesta.

Multa, quæ in sæcularibus innocua, vel certe reprehensione digna non sunt, viros Deo sacratos nequaquam decent, quin interdum nec culpa carent. Quilibet propterea illud monitum Apostoli sibi applicet: "Modestia vestra nota sit omnibus hominibus." Modestia viri religiosi eluceat e facie, ex oculis, ex gestibus, ex modo loquendi, ex sono vocis—ex toto corporis habitu. . . . Erras, vir religiose, si putas te per majorem familiaritatem, liberiorem agendi modum, per colloquia jocosa et minus modesta gratiam tibi sæcularium et confidentiam conciliaturum.

Mundus est censor exactissimus, qui singulis virorum ecclesiasticorum gressibus invigilat, et conformem ipsorum statui pietatem et modestiam rigide ab omnibus exigit, a qua ipse longissime abest.

Expectat igitur mundus in conversatione nostra et colloquiis religiosam gravitatem, modestiam, moderationem et prudentiam; quibus, qui excellunt, suaviter in cor sæculari-

um influunt, æstimationem et confidentiam adferunt; quibus vero hæc desunt, ab aliis quidem tanquam homines, qui jucunde fallere tempus norint, considerantur; ab aliis tanquam garruli et vaniculi contemnuntur.

Ut autem vir religiosus talis in conversatione sit, qualem mundus expectat et esse debet, oportet mentem bene collectam secum circumferre.—Qui enim Deum ubique sibi præsentem habet, erit urbanus sine affectione; hilaris, quin se tamen ad externa effundat; affabilis et facetus, quin de gravitate sua aliquid deperdat; erit sincerus quin decentiam lædat; eloquens, quin, quidquid in buccam venit, effutiat, quin solus usque loquatur, vel in verba aliorum involet.

II.—Conversatio sit seria et de rebus utilibus.

Nolim, hic intelligas: tractandum semper et unice esse de rebus spiritualibus. Inter Religiosos optandum quidem esset; verum, quemadmodum religio suis quædam tempora indulget ad animum modeste exhilarandum, ita majorem illis etiam libertatem concedit, nec prohibet de rebus minus forsitan gravibus et seriis sermones miscere. Conniventia hæc est prudens et regulis sanæ discretionis conformis.

Turpe nihilominus et religioso viro prorsus inconveniens esset, si tempus totum vanis et inutilibus sermonibus perderetur; si in omnibus vel plerisque congressibus nulla de Deo rebusque spiritualibus mentio fieret; si sermones pii vel salutares reflexiones non nisi cum tædio audirentur.—Constat autem experientia, vana et sæcularia colloquia producere communiter in Religiosis distractiones innumeras, tædium rerum spiritualium, ariditatem cordis; imo extinguere sensim spiritum, et non mediocrem in obsequio divino teporem inducere.

Adhuc minus ferendum esset, Religiosos conversari sæpius cum sæcularibus et sermones quoque longiores miscere, quin de rebus spiritualibus, de veritatibus æternis vel mentionem faciant, eo quod timeant, ne per colloquia spiritualia a nostra conversatione deterreantur.

Verum quidem est, discretione opus esse, nec expedire, ut talia in omni congressu quasi nolentibus obtrudantur. Interim et hoc quoque certum est, non deterreri tam facile sæcu-

lares, si quæ ad illorum seu ædificationem seu instructionem interdum proferat Religiosus, cujus statum et vocationem id exigere norunt, ut doceat, ædificet.

Quod vero tales sermones illis revera displicerent, id unum inde consequetur, ut me rarius invisant; et ego minus temporis perdam. Hoc ipsum erat principium S. P. Ignatii.

III.—Conversatio sit charitatis mutuæ studiosa.

Cavendum certe, ut sine cujuspiam læsione fiat. Universale est illud dictum in libro Sapientiæ: "Qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir;" sed præcipue de amore proximi pronuntiari potest, non esse virtutem vulgarem, sed magnam perfectionem esse, neminem in colloquiis offendere.

Consueti modi, quibus læditur charitas in conversatione, sunt:

1. Innata quædam impatientia hominum plus æquo fervidorum, qui nulli quidquam pacifice loqui possunt.

2. Contradictiones et litigia, quæ oriuntur, dum pars utraque incalescit, et altera quidem spiritu contradictionis, altera sui judicii nimium tenax, cedere renuit; vibratis hinc inde verborum jaculis, quæ animos vulnerant.

3. Verba jocosa et aculeata, quæ alteri non satis cauto excidunt, et ab altero nimium sensibili in malam partem accipiuntur.

4. Judicia et murmurationes contra superiores, officiales vel alios.—Quam primum aliquibus quidpiam displicet, jam tacere nequeunt; in murmura et querelas prosiliunt, ex indomita nimirum cupiditate omnia dijudicandi, vituperandi.

5. Detractiones. — In hac materia adeo delicata, nulla etiam inter Religiosos attentio et cautela est superflua: circa detractiones laxissima interdum in aliquibus principia vigent.

Rara fiunt colloquia, in quibus de proximo non incidat sermo; et si quando ad illius errores descendatur, effutiuntur facile per inconsiderantiam vel alia de causa, quæ celari deberent. Hæc aliaque ejusmodi e congressibus et confabulationibus exclusa vult amor fraternus.

Nulla sit verbis amarities, inurbanitas aut impatientia. Non possumus semper impedire, ne passio vel sinister affectus se cordi insinuet; sed illum refrænare, ne in verba aut contradictiones amoris læsivas prorumpat, in potestate nostra

est.—Quisque habet jus, sententiam suam proferendi; sed si advertimus, enasci litigia, millies tacere præstat, quam rem suam, ceteroqui bonam, defendere cum læsione charitatis.

Absint e colloquiis nostris non solum aculeati, sed etiam innocui et ingeniosi joci, si qui e præsentibus illos ægre ferre notentur; cessat enim esse innocuus, dum offensivus esse incipit.

Absint murmura et querelæ; si quid enim aut vituperio aut correctione dignum videatur, non id publice, sed remotis arbitris fiat.

Absint denique omnes vel minimæ detractiones. Loquamur bene de omnibus; et si quid laudabile de proximo nesciamus, tacere potius oportet.

Per accuratam harum regularum observantiam quot peccata et mala vitabuntur? quam pacifica, quam jucunda, quam boni omnibus exempli erit nostra conversatio! . . .

Ita illud regii Psaltis, Ps. cxxxii. in nobis implebitur: "Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum!"

CONSIDERATIO VII.

DE INTERNA ET EXTERNA MORTIFICATIONE.

Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Ita Apostolus ad Gal. 5. Qui solemni modo se Deo consecrarunt, Jesum Ducem suum in schola crucis oportet imitentur; ut semetipsos abnegantes et crucem post ipsum bajulantes, per internam et externam mortificationem eum magnanime sequantur.

Hujus mortificationis I. *Necessitatem*, II. *Utilitatem*, III. *Praxim*, considerabimus.

NECESSITAS.—1. Ipsa verba Sancti Pauli ad Galatas, dum de crucifixione et extirpatione vitiorum et concupiscentiarum loquitur, mortificationem *internam* denotant; per verba autem: "carnem suam crucifixerunt," id est afflictionibus et mortificationibus voluntariis carnem spiritui subjugarunt,

mortificationem *externam* indicat; utriusque vero hujus mortificationis necessitatem probat ex eo, *quod Christi simus;* ac si diceret: illi soli possunt esse ac agnosci a Christo veri discipuli et sectatores, qui, sicut Christus cruci affixus vere mortuus est, animalem carnem ita jugiter mortificant, ut vitiis et concupiscentiis suis moraliter mortui videantur.

2. Eamdem necessitatem ipsa vera hominis ad Deum redeuntis pœnitentia persuadet: verus enim pœnitens nec est, nec debet esse contentus, quod per veram delictorum suorum detestationem et sinceram confessionem, perditam Dei amicitiam recuperaverit; sed debet conari reparare pro viribus gloriam peccatis suis Deo injuste ablatam; debet conari satisfacere justitiæ Dei vindicativæ, quæ tot sibi illatas injurias, condonatas quidem quoad reatum culpæ et pœnæ æternæ, non vero pœnæ temporalis, impune abire non potest sinere; sed pœnis temporalibus commensuratis vel hic vel ibi castigare debet, nisi peccator voluntariis castigationibus illas in se ipso vindicando, ultricem Dei manum exarmet. Hinc jubemur in Evangelio, non solum pœnitentiam agere, sed etiam dignos pœnitentiæ fructus facere. Hinc S. Paulus ad Rom. 6. "Sicut exhibuistis membra vestra immunditiæ et iniquitati, ita nunc exhibite membra vestra servire justitiæ in sanctificationem." Hæc sine interna et externa mortificatione fieri non posse, nemo non videt.

3. Persuadet ipsa hominis Christo firmiter adhærere cupientis seria voluntas. Cum enim caro incessanter concupiscat adversus spiritum; et omnes videamus aliam legem in membris, repugnantem legi mentis nostræ, non diu perseverare quis in observatione legis et amicitia Dei poterit, qui gladio mortificationis non utitur adversus insurgentes carnis stimulos et ordinatos affectus.—Id ipsum S. Paulus de se fatetur, et ait: "Ego castigo corpus meum et in servitutem redigo" . . . An tu Paulo sanctior aut securior?

Utilitas.—1. Per voluntarias enim, licet exiguas, mortificationes evadimus, aut saltem abbreviamus pœnas purgatorii.

O si liceret animabus in purgatorio afflictis hac conditione in corpus redire, quanto cum gaudio omnes pœnitentiæ austeritates subirent, ut ex illo terribili carcere citius liberentur!—Adde, quod etiam gloriam in cœlo majorem per eas voluntа-

rias mortificationes nobis procuremus. O felix pœnitentia, aiebat Sanctæ Teresiæ post mortem apparens S. Petrus de Alcantara, O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam !

2. Per mortificationem facilius obtinemus gratias, quas a Deo petimus, et veram pacem cordis. Primum patet, quia oratio mortificationi juncta Deo est gratior adeoque efficacior : secundum, quia mortificatio carnem spiritui subjicit et passiones refrænat ; unde major animi quies.

3. Per mortificationem evadimus instrumenta aptiora divinæ gloriæ promovendæ. Nemo enim certius et facilius homines ad pœnitentiam adducit, quam Dei minister mortificatus et sibi ipsi vitiisque mortuus, qui, quæ docet, ipse facit : cujus laboribus Deus benedicit copiosius ; et cujus verbis bonum exemplum mirum pondus addit.

4. Per mortificationem denique aut præservamur, aut roboramur contra inimici tentationes : præterquam enim quod sensibus externis, per assiduam mortificationem bene custoditis, et vigilante super omnibus cordis sui affectibus Religioso, dæmon non facile rimam inveniat, per quam intret, nihil etiam magis timere solet, quam manum ejus flagello armatam. Resistite diabolo et fugiet a vobis. (Jac. 4.)

Praxis.—Sicut duplex est mortificatio, alia corpus, alia spiritum contingens, et hæc præ illa multo nobilior et communiter magis necessaria est ; ita etiam in *præceptam* et *voluntariam* dividi potest ; quarum illa mortificationi voluntariæ longe semper præferri debet.

Dixi 1. Mortificatio, spiritum contingens, est præ altera corporis multo nobilior, quia per hanc hominis partem nobiliorem, magisque nobis caram, intellectum et voluntatem continemus, ne limites a lege, decoro vel recto præscriptos transiliant.

2. Est communiter magis necessaria : quia cum ab intellectu et voluntate, bene vel male disposita, dependeat positio actus legi conformis, vel legi difformis seu peccaminosi : voluntas autem ad malum magis, quam ad bonum proclivis sit ; et frequentius etiam ad id sollicitetur, quod externis sensibus et carni magis arridet ; facile patet hanc mortificationem spiritus ad observandam plene Dei legem, et obligationes status

nostri adimplendas, præ illa corporis magis communiter esse necessariam.

Nolim tamen propterea, ut quis mortificationem corporis aut vilipendat, aut omnino negligat. Est enim et hæc magni apud Deum meriti, et ad viam mandatorum inoffenso pede decurrendam, multum confert. Refrænata enim per externos cruciatus carne, non tam facile, vel saltem non tam acriter contra spiritum recalcitrabit; et exclusis per sensuum coercitionem objectis, quæ alliciunt, voluntas etiam periculoso certamini non tam frequenter exponetur.

Juvat hic addere, non esse suscipiendas, nisi conscio superiore vel confessario, extraordinarias vel majores corporis mortificationes præsertim indiscretas, prout regulæ præcipiunt.

3. Alia mortificatio dicitur *præcepta*, quæ præ aliis omnibus semper primum locum vindicare sibi debet. Talis est: abstinentia a carnibus et unica refectio diebus ab Ecclesia statutis. Huc pertinent stabilita in ordinibus religiosis vel consueta jejunia; præscriptæ vel solitæ mortificationes, aut etiam pœnitentiæ ob defectum (etiam non culpabilem) impositæ.

4. Alia mortificatio est *voluntaria* seu supererogatoria, quæ, licet sine omni culpa omitti possit, negligi tamen ab homine, progrediendi in via perfectionis et spiritu cupido nullatenus debet.—Talis est, abstinere se ab uno vel altero bolo sapidiore: curiositatem hæc vel illa de se licita videndi, loquendi, audiendi, coercere—aut similia.

Exigua quidem hæc sunt; sed tamen voluntatem nostram frangunt, et habitum ingenerant, etiam difficiliora præstandi. Præterea omnes istæ licet parvæ de nobis victoriæ sunt Deo gratissimæ; utpote qui non tam attendit quid illi offertur; sed, quam alacri, liberali et amante animo offertur.—Ejusmodi autem mortificationes pro dono perseverantiæ in sancta vocatione: pro præservatione a graviore lapsu, pro gratia finali obtinenda, merito et fructu uberrimo solent exerceri.

CONSIDERATIO VIII.

DE ORATIONE VOCALI.

Hæc postrema dies sacræ solitudinis vitam exhibet *unitivam ;* qua via per amorem cum Deo uniamur, ut in dilectione perpetua cum Christo Duce nostro conjuncti maneamus.—Hic ultimus finis, ultima meta est ad quam collineemus ;—ad quam ut pertingamus, monet Dominus : "*oportet semper orare*" et pia vocis supplicatione dicere : "Pater noster ! *adveniat nobis regnum tuum.*"

Considerabimus I. *Necessitatem*—II. *Utilitatem*—III. *Praxim vocalis orationis.*

NECESSITAS.—Necessitas communis omnibus orandi etiam vocali oratione.

1. Eruitur ex obligatione, quam quisque habet, ut Dei gloriæ inserviat tam spiritu, quam corpore ; et ut totus homo Dominum Deum laudet, qui totum hominem condidit, atque totum quotidianis beneficiis peramanter cumulat.—In hunc præsertim finem Deus nobis contulit loquelam, ut ea in laudem sui conditoris impenderetur ; ut, sicut Psaltes canit : "Semper laus Domini sit in ore nostro."

2. Eruitur hæc necessitas ex summa indigentia gratiarum Dei, quæ non nisi oratione plerumque obtinentur ;—quamquam enim orare possimus et impetrare etiam solo spiritu et mente ; tamen valde congruum est, ut homo etiam voce et lacrymis Dei misericordiam imploret ; et ut illa pars hominis, quæ beneficiorum Dei est particeps, ad ea obtinenda concurrat.—Hinc Christus Dominus non solum spiritu, sed etiam ore nos docuit orare et gratias a Deo petere, tam suo exemplo, "Transeat a me calix iste," quam divinæ illius orationis, quæ oratio dominica dicitur, institutione.

3. Religioso homini præterea atque Sacerdoti, ad Dei cultum externum singulariter electis, necessaria est vocalis oratio.

Nam ex sui status conditione officium eorum est laudare Deum, ore scilicet ac voce ; ut Dei gloriam reparent, quæ voce et maledictis adeo in mundo imminuitur ac lacessitur.

Et idcirco canonicas horas Sacerdotes recitare tenentur ; ut

sicut in cœlis assidue ab Angelis, ita et in terris a religiosis hominibus, veluti angelorum æmulatoribus, laudetur Deus.

Illi vero Religiosi, qui ad horas canonicas nondum obligantur et paucas tantum vocales orationes, præsertim in communi, recitandas habent, oportet, ut saltem illas accurate ac peculiari *reverentia—attentione* ac *devotione* recitent; ut sit sacrificium laudis Deo acceptum.

Utilitas.—1. Summa efficacia orationis ad impetrandas a Deo quaslibet gratias saluti nostræ congruas, "*petite et accipietis*," ostendit summam, etiam orationis vocalis utilitatem. Esto enim, a fervore præsertim voluntatis moveatur Deus ad concedenda quæ petimus; sed, præterquam quod oratione vocali fervor ille internus alitur et augetur, vox ipsa certe ad impetrationem aliquomodo concurrit; nam informat ac complet devotam illam petitionem, cui omnia bona promisit Dominus: "petite et accipietis; pulsate et aperietur vobis."

2. Est insuper valde utilis oratio vocalis propter ejus excellentiam, cujus causa plurimum confert ad divinum cultum, cum animæ nostræ sanctificatione, promovendum. Psalmi enim sanctis viris a Deo inspirati sunt, quia sic Deus laudari voluit. Dominicalis oratio a Christo Domino instituta est, ut nos doceret, quid petere a Deo, ac sperare debeamus. Angelica salutatio partim ab Archangelo Gabriele, partim a S. Elisabeth, partim ab Ecclesia composita, magnas B. V. Mariæ, ejusque Filii laudes continet, divinæque Matris mediationem implorat. Symbolum apostolicum sanctæ fidei mysteria comprehendit, eademque devote recitantibus exercitium sublimissimæ fidei promovet. Cæteræ demum orationes, vel a catholica Ecclesia, vel a sanctis viris compositæ, spiritu Dei plenæ, devotionem nobis mirifice inspirant, et ad sanctificationem nostram conferunt.

3. Orationi vocali plures sæpe gratiæ præsertim spirituales adnecti solent; quia non nisi tali modo orantibus promittuntur.—Suffragia pro animabus fidelium defunctorum eidem adnectuntur.

Et imo ad indulgentias fere omnes lucrandas, unum ex requisitis solet esse oratio vocalis.

En quantæ utilitatis est; modo ea qua par est devotione recitetur; quod docebit sequens

Praxis.—"Laudate Dominum in sono tubæ, laudate eum in psalterio et cithara." Ps. cl.

Quemadmodum musicum instrumentum non est auribus gratum, nisi debito modo pulsetur; ita neque oratio vocalis ascendet ad Deum in odorem suavitatis, nisi cum debita *reverentia* erga Deum, *animi devotione*, et *attentione* recitetur.

Ad reverentiam pertinet humilis compositio corporis cum modestia conjuncta, qualis decet supplicem, qui Dei præsentis misericordiam implorat.

Requiritur *animi devotio:* pia scilicet affectio erga Deum, quæ voluntatem ad offerendum Deo hoc sacrificium laudis, alacrem reddat, et divinæ gloriæ cupidam.

Veræ devotioni opponuntur non modo præcipitantia in orando—obtruncatio verborum, nec satis distincta articulatio; verum etiam languor mentis, ac tam sancti exercitii tædium.

Requiritur *attentio mentis*. Hæc autem triplex esse potest: *Superficialis*, cum ad verba nempe materialiter et ad ea recte pronuntianda, solum attendimus.

Attentio literalis: cum verborum sensum, juxta ordinem quo pronuntiantur, vel aliquam orationis partem consideramus.—Est demum *spiritualis ad Deum attentio*, cum scilicet, qui devotas preces recitat, cogitat de Deo, vel de Virgine Matre, si ad eam præsertim dirigitur oratio; vel de aliquo fidei nostræ mysterio.

Porro quamvis præstaret procuranda a nobis vel litteralis vel spiritualis attentio, quæ orationem nostram reddat Deo magis acceptam; curare tamen in primis debemus, ne mens nostra eo tempore in alienas cogitationes saltem libere evagetur; ut sic debitam devotionem in Deum (in qua consistit oratio) mens nostra conservet; ne nobis quoque reprehensio illa conveniat: "*Hic populus labiis me honorat*, cor autem eorum longe est a me."

Ad ejusmodi mentis evagationes, quantum per nos fieri potest impediendas, præstat:

1. Tempus et locum ad orandum magis opportunum eligere, et Evangelii monitum sequi: "Cum oraveris intra in cubiculum."

2. Animum ante orationem in pace componere, et fidem divinæ præsentiæ excitare, ac sæpe inter orandum renovare.

3. Auxilium divinum toto corde implorare; corde et ore dicendo: *Deus in adjutorium meum intende.*

4. Curam præcipuam in eo ponere, non ut multas orationes vocales recitemus, sed ut ex spiritu fervente et Deo devoto illæ procedant: brevis enim oratio, quia solet esse ferventior, penetrat cœlum.

5. Oratio nostra *sit pura*, ut nihil a Deo præter ipsum quæramus. Hoc est, semper Dei gloriam, magis quam nostram utilitatem, in omnibus petitionibus nostris quæramus; et nihil umquam petamus, quod saluti nostræ obesse quomodolibet posset . . . Estne talis nostra oratio? . . . Quam ampla considerationis et emendationis materia.

CONSIDERATIO

DE DIGNITATE STATUS SACERDOTALIS.

Tu Puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciam Domini parare vias ejus. *Luc. i.* 16.

Spiritus Domini hisce verbis Excelsam dignitatem, ac munus eximium manifestabat, ad quod Deus præcursorem suum S. Joannem destinaverat: Propheta Altissimi vocabitur. Præco futurus erat, qui juxta vaticinium Isaiæ adventum Messiæ annuntiaret. Non seipsum solum sanctificabit; sed qua instrumentum deserviet ad alios quoque sanctificandos, "parare Domino plebem perfectam" ac multos ad possessionem æternæ salutis perducendos.

Talis erat sublimis destinatio Sancti Joannis. Deus autem, qui solet gratias suas, talibus muneribus conformes, elargiri, hunc suum præconem singularibus donis et gratiis complebat, ut inter natos mulierum nullus sanctior exsurgeret. Ipse vero Joannes in sanctitate se continuo perficere, et ad grande munus præcursoris Domini se dignum efficere et præparare, totis viribus satagebat.

Electio nostra, qui ad sanctuarium Dei gratia superna vocati sumus; dignitas Sacerdotis sacrificantis; munus præco-

nis et docentis, ut præparetur Domino plebs perfecta, multique ad capiendam salutem perducantur, nos quodammodo sancto illi Prophetæ similes efficit;—atque potestas nobis a Deo tradita, peccata pœnitentibus dimittendi—panem et vinum in Jesu Christi carnem et sanguinem realiter convertendi, nos super Angelos aliquo modo extollit, sicut S. Chrysostomus effatur.

Verba sancti Apostoli: "Fratres! *videte vocationem vestram*" in mentem vocamus; atque veluti ad pedes Episcopi, qui olim manus nobis imponebat, prostrati, memoria recolimus verba: "accipite Spiritum Sanctum, *quorum remiseritis peccata*, remissa erunt," etc. "Accipe potestatem *conficiendi Corpus et Sanguinem* Jesu Christi." . . .

Ex tenore horum verborum *dignitatem status sacerdotalis* luculenter cognoscimus; de quo hanc *considerationem* facimus.

Deus ipse sacrum Sacerdotium instituit. In lege naturæ, Melchisedech Sacerdos Dei summi appellatur. In lege scripta, ipse Dominus sibi Aaronem in Sacerdotem elegerat. Jam nunc in lege gratiæ, in qua sancta Jesu Christi Ecclesia novum sacrificium, sanctam immaculatam hostiam accepit, Jesus Christus novum quoque Sacerdotium instituere dignatus est.

Jam *quis finis* hujus novi Sacerdotii? *quæ destinatio* Sacerdotis? quænam *munera ipsi sunt concredita?*

Divinus Magister ac Dominus Jesus Christus ad suos Apostolos dixit: "Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos."—Ipse Filius Dei vivi de cœlis super terram descendit et homo factus est; eo fine, ut, qua Agnus Dei, tollat peccata mundi, atque divinas suas gratias hominibus super terram in usu sanctorum Sacramentorum, quæ gratiarum instrumenta sunt, largiter impertiat.

Eadem hac potestate, quam Pater cœlestis ei dederat, nunc in hac nova lege Jesus Christus suos investit Sacerdotes, eosque ad eumdem finem mittit per universum mundum.

I.

Est itaque *prima electio* seu destinatio Sacerdotis, ut qua vices gerens Jesu Christi sacrosanctum novæ legis sacrificium, hostiam immaculatam, quæ, qua verum Corpus et San-

guis Filii Dei est, infinitum valorem habet, in remissionem peccatorum Deo offerat; "ut offerat dona et sacrificia pro peccatis."

Sacerdos sanctum hoc sacrificium offerens, vices Jesu Christi adimplet, qui se incruento modo pro sancta sua Ecclesia offert, ut eam suo sanguine lavet ab omnibus inquinamentis; contra insultus inferni eam muniat; ac divinum Patrem exoret, et suas miserationes sanctamque benedictionem et pacem benigne ei largiatur.

Ibi ad altare Dei sacrificans, velut omnipotentia Dei indutus Sacerdos apparet. Verba sacræ consecrationis, mysterio plena, eloquitur, et ad vocem oris ejus panis et vinum in carnem et sanguinem Jesu Christi Filii Dei transsubstantiantur. Eo ipso instanti Sacerdos pretium redemptionis humanæ tenet in manibus, quo se sanctificat; sed et aliis fidelibus escam vitæ æternæ distribuit.

Tanta est dignitas Sacerdotis; adeo grandis potestas ei data est. Quam sublimis ejus destinatio! . . Sed propterea, quam sancta sit oportet vita Sacerdotis, ne velut proditor erga divinum suum Magistrum se gerat; . . . ne de pane vitæ mortem sibi manducet et tremendum judicium! . . .

II.

Aliud munus Sacerdoti traditum est, ut in nomine et virtute Jesu Christi *judex sit conscientiarum*.

Jesus Christus jura sua super peccatores ei concredidit. Ad Sacerdotes, quemadmodum ad Apostolos locutus est: "Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt." Jo. xx.

Inde nos Sacerdotes cum Apostolo in veritate fateri possumus: "*Christi coadjutores sumus*"—cum Christo legatione fungimur. Deus nostris manibus thesauros gratiarum suarum commisit, nosque dispensatores earum constituit. In manus nostras *claves cœli deposuit*, ut ingressum ad cœlum aperiamus, indignis claudamus. In gravi hoc negotio, unde æterna salus hominis dependet, monarcha, sicut et subditus, judicio Sacerdotis subjectus est.

Quam sublimis hæc potestas Sacerdotis! . . . Sed propterea, quam sollicite ei curandum est, ut Spiritu Domini repleatur, et zelo animarum succensus, hoc Sacramentum administret.

III.

Sacerdos per Jesum Christum in nomine et virtute illius, qua *instrumentum gratiarum Dei* et omnium benedictionum cœlestium, constitutus est in administratione SS. Sacramentorum.

Officium Sacerdotis est, ut per sacrum baptisma filios Dei multiplicet;—ut per peccatum lapsos erigat, ac Deo reconciliet in sacramento pœnitentiæ; ut mundos carne vivificante et sanguine Jesu Christi Filii Dei nutriat; ut christianorum conjugia, ad Christi gregem propagandum, legitime consecret;—ut moribundos per sacramentum extremæ unctionis roboret, et ad felicem obitum præparet.

In sacro Sacerdotis ministerio Deus depositum omnium gratiarum pro hominibus, ad capiendam hæreditatem salutis collocavit.

IV.

Tot sacris benedictionibus munus Sacerdotis abundat; adeo salutares effectus sunt, quos sacrum Sacerdotum ministerium operatur.

Sacerdos *mediator est inter Deum* et *homines* ad convertenda corda filiorum ad Patrem . . . Propterea, ut ejusmodi salutares effectus pro Dei gloria, animarumque æterna salute in hoc sacro ministerio edantur, Sacerdos Deo consecratus, inter templum et altare flens, oportet ingemiscat et oret: "Parce Domine! parce populo tuo, et ne permittas hæreditatem tuam inquinari; - da pacem, Domine, et benedic hæreditati tuæ!"

Ad exemplum Sancti Pauli, Sacerdos optare deberet, pro fratribus suis ipse anathema fieri. Omni tempore paratum se exhibere tenetur, qua bonus pastor pro ovibus sibi commissis vitam dare.

Talis est destinatio *Sacerdotis super terram*, quem Dominus sibi elegit, "fungi Sacerdotio et habere laudem in nomine illius." Destinatio autem *Sacerdotis pro vita æterna* sequentibus verbis exprimitur: "Qui autem fecerint et docuerint fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates."

CONSIDERATIO

DE ZELO SACERDOTIS AD INSTAR ZELI JESU CHRISTI.

Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. *Matth. iv.* 19.

Considerata dignitate status sacerdotalis, merito conclusimus, quam sancta sit oporteat vita Sacerdotis, ut tanta vocatione, qua *novæ legis sacrificator,—conscientiarum judex,—mediator inter Deum et homines*, digne ambulet.

Zelus pro salute animarum, *zelus fervens, prudens et fortis*, quemadmodum divinus Magister suo exemplo nos docuit, qua primarium Sacerdotis officium haberi debet. Divinorum omnium divinissimum est, cooperari ad salutem animarum, ait S. Dionysius. Hoc zelo S. Apostolus plenus, anathema Christi pro suis fidelibus fieri cupiebat.

Tota vita Jesu Christi super terram eximii zeli pro animabus testimonium præbet. Jam ad primum ingressum in mundum se totum offert in sacrificium pro salute hominum : cum clamore valido et lacrymis, ait Apostolus, se Deo obtulit : tota suæ vitæ agendi ratio hunc zelum demonstrat.

I.—Zelus Fervidus.

Zelus Jesu Christi pro salute animarum zelus ardens erat, qui ex corde, Dei amore et hominum accenso, procedebat. Ipse divinus Salvator attestatur, dicens : "Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?" Ignis urit, consumit, calefacit atque accendit ; ardet incessanter, quamdiu materia consumenda supponitur.

Talis erat zelus Jesu Christi. Ignis ille Cor ejus divinum consumebat ; nihil erat, quod flammas charitatis ejus extinguere poterat ; nec aliud quærebat, quam animas faucibus inferni eripere, easque sanctificare, ut in sanctitate et justitia Deo servirent.

Ejusmodi zelum, qui ex fervido cordis amore procedit, divinus Magister a suis discipulis postulat, dicens Petro : "Si amas me, pasce agnos meos, pasce oves meas."

II.—Zelus Universalis.

Zelus Jesu Christi ad omnes cujusvis conditionis homines se extendebat: hoc zelo ignito accensus, civitates, oppida et vicos percurrebat; prædicabat ubique, in templo, in synagogis, ad ripam maris et in deserto. Zelus ejus non unice fervebat, ubi turba hominum erat circumdatus; tunc quoque se manifestabat, dum de una aut altera peccatrice ad pœnitentiam convertenda agebatur; nec gravissima peccata et scelera zelum ejus inhibere poterant.

Ex tanto zelo divini Salvatoris ad salvandas animas, *valor et dignitas animæ humanæ* satis superque agnoscitur; super quo S. Eusebius inquit: O homo, si non credis Creatori tuo, qui te ad suam imaginem efformavit, interroga Redemptorem tuum: Ejus humiliationes, labores et dolores, vita Ejus per 33 annos in tanta paupertate totque angustiis, ubique benefaciendo, peracta, docent te, quanti sit valoris et pretii anima hominis.

Animas adeo pretiosas Jesus Christus nobis Sacerdotibus committit, quos vocavit, ut fiamus *piscatores hominum*. A tanto itaque divino Magistro ediscamus libenter, quo zelo quantaque charitate animas nobis commissas ad æternam salutem ducamus oporteat. Parvi æque ac magni, pauperes sicut divites animam habent immortalem, ante oculos Domini pari modo pretiosam—has *zelo illo ardente et universali*, sicut Christus Dominus, non solum solerter curemus, sed et quæramus. . . .

III.—Zelus Jesu Christi fortis, omnes difficultates superans.

In operibus ejusmodi zeli non paucæ difficultates solent occurrere, quæ forti animo superandæ sunt.

Contradictiones non raro occurrunt ex parte eorum, ad quos zelus noster se extendit; sed et calumniæ, loco gratitudinis, quandoque a talibus veniunt perferendæ.

Insuper labores nostri et sollicitudines vix ullum, aut exiguum fructum ferre videntur.

Adversitates adeo grandes zelum Sacerdotis facile labefactare possent, nisi in prototypon zeli Jesu Christi oculos converterit.

Pertransiens ubique, cœlesti vi et eloquentia prædicabat,

suasque divinas doctrinas stupendis miraculis confirmabat. At quam obdurati et perversi persistebant Judæi ! Alii illudebant eum cum contemptu : unde talis scientia filio fabri lignarii ? Alii qua deceptorem et seductorem eum habebant ; summi Sacerdotes doctrinam ejus condemnabant, tanquam Deum blasphemantis, eumque cum Beelzebub conjunctum esse dicebant.

Tanta ingratitudo pro tot præstitis beneficiis, tam atroces calumniæ ardentem zelum Jesu Christi nequaquam frangere potuerunt ; preces quotidie fundebat ad Patrem pro conversione eorum, ac nova indies patrabat miracula ; etiam erga illos, qui maxime indigni erant, amorem indulgentem et summe beneficum, sicut erga Judam proditorem, exhibebat.

Adeo fortis et ardens zelus erat Jesu Christi, quem torrentes persecutionum et adversitatum labefactare minime potuerunt.

Quam illustre exemplum, quod nos Sacerdotes animet, ut zelus noster pro gloria Dei et animarum lucro ardens perseveret, et similes *difficultates generose et fortiter superet !*

Quis non experitur, et cum rubore fateri non cogitur, quod adeo facile ignis, quo zelus noster aliquando accenditur, quasi extinctus appareat ; ac fructus exiguus, quem labores nostri ferre videntur, nos animo demisso ac desolatos efficiat ?

Quævis contradictio hominum ; sermones eorum malevoli ; aut minima, quam experimur, persecutio, charitatem nostram et zelum facile extinguunt ; imo in animum malevolum et iracundiam aliquando convertunt ?

Domine Jesu, qui venisti ignem mittere in terram, hunc ignem charitatis et zeli accende in cordibus nostris.

IV.—Zelus Intentione Purus.

Intentionem quoque purissimam consideremus, qua divinus Magister noster Jesus Christus ferebatur, qui zelo adeo ardenti, forti et efficaci, tot et tantas difficultates superans, ad salutem animarum operabatur ; Sacerdotibus suis præclarum relinquens exemplum.

In cunctis suis laboribus, et quas patiebatur ærumnis, haud alium finem, quam gloriam et honorem Patris sui Jesus Christus intendebat : "Non quæro gloriam meam," aiebat, "sed ejus, qui misit me Patris." Ad convertenda corda filiorum

ad Patrem zelus ejus unice dirigebatur. "Patrem meum scio et diligo," inquiebat, "et vitam meam trado pro ovibus meis."

Ipse quidem, cum in forma Dei esset, a laudibus hominum nihil sibi timendum habebat; attamen ab omni humana laude cavebat, eripiens se a conspectu eorum, qui eum extollere cupiebant, aut præcipiens, ne benefacta sua divulgarentur.

Gloriæ cupiditas et sui complacentia in operibus zeli vermis est, qui corrrodit et omne pretium illorum coram Deo destruit. Qui talis vanæ gloriæ cupidus laudem hominum in suis operibus quærit, in fine sæculi triste audiet effatum: "Fili, recepisti mercedem in vita tua."

Hæc pura *intentio pro gloria Dei* et *animarum salute* oportet zelum Sacerdotis vivificet; ad omnes oviculas, sine discrimine, se extendat; ad opera etiam gravissima et dura alacriter subeunda, eum impellat; tum etiam fortem et constantem eum efficiat, ne animo cadat, dum vix ullo aut nimis exiguo fructu opera et labores suos coronatos videt.

Hac purissima intentione et animarum zelo instructus fervidus Sacerdos, cum Sancto Apostolo famen et sitim, nuditatem et frigora pati; etiam in moribus contagiosis cum morientibus mori—paratus erit.

CONSIDERATIO

DE ORATIONE SACERDOTIS.

Oportet semper orare et non deficere.—*Luc. xviii.* 23.

"Omnia possumus in eo, qui nos confortat." Ut zelus Sacerdotis pro gloria Dei et animarum salute uberem fructum ferat, benedictione desursum a Patre luminum opus est; "nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus;" propterea oportet semper orare et non deficere.

Divinus Salvator non unice exemplum reliquit nobis Sacerdotibus zeli ardentis et purissimi pro conversione peccatorum; sed insuper media assignare voluit quibus zelus noster efficax fiat, et illam conversionis gratiam operetur.

Clamores validi et lacrymæ, quales fundebat Jesus Christus, *mortificationes* et *abstinentiæ*, at potissimum *oratio Sacerdotis*, efficacissima media sunt ad conversionem peccatorum consequendam. De *efficacia* et *necessitate orationis* fit consideratio.

I.—Vis et Efficacia Orationis.

Pientissimus Salvator, de longe videns civitatem Jerusalem, flevit super eam. Quis pius Sacerdos gravia peccata noscens, quibus divina majestas a peccatoribus offenditur, non amare flet super illa? Atque sciens, se qua animarum piscatorem a Deo destinatum esse, zelumque quo fertur, fructum duntaxat exiguum ferre, nonne cum Petro exclamare cogitur: "Domine in nomine tuo laxabo rete?" Tunc pius piscator retia sua laxat in nomine Jesu et uberrimum fructum reportat.

Inde in corde Sacerdotis, pro animarum lucro et regno Dei zelantis, vota et desideria exsurgunt, quibus, sicut quondam S. Xaverius, ad *lucrandas Deo animas tabescit*, *se ipsum offert*, et quoscumque *graves labores subire*, et *pericula ferre exoptat*.

Oratio Sacerdotis, ut pia hæc sua desideria compleantur, medium est efficacissimum.—Orationi S. Stephani mater Ecclesia Pauli conversionem, uti S. Augustini conversionem orationi et lacrymis piæ matris Monicæ adtribuit.

Divinus Magister *exemplo* suo et *doctrina* satis ostendit, grande hoc munus, homines piscandi, solis naturalibus mediis expleri minime posse; quapropter fiducialem orationem et conversationem cum Deo adeo graviter suis discipulis commendat; quemadmodum ipse, qui unico oris verbo corda hominum convertere potuisset, ante quamlibet gravem actionem ad orationem se convertebat, etiam noctes, post diurnum laborem, in oratione transigens.

Non exemplo suo solum, sed vocis oraculo discipulos suos efficaciam orationis docebat, et ad frequenter orandum impellebat. "Rogate dominum messis," aiebat, "ut mittat operarios in messem suam—petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis."

Veritatem hanc et monitum divini Magistri Apostoli aliique viri apostolici, quos Dominus ad messem suam destinaverat, cordi habentes, non adeo a donis naturalibus, quibus utebantur, quam ab oratione, quam coram Deo fundebant, effectus salutares et fructus laborum suorum expectabant.

Equidem Sacerdotes zelosi, ut inquit Adalbertus, juvant proximum, ad ejusque salutem efficaciter operantur, *verbum Dei prædicando*, *confessiones excipiendo*, et *salutari consilio;* hæc autem omnia *fervens oratio præcedere debet*, unde ignis amoris Dei et proximi foveatur et zelus Sacerdotis nutriatur.

II.—Orationis Necessitas.

Neque sola hæc vis et efficacia orationis, tanquam certissimum medium pro piscatoribus hominum, ad convertendos peccatores ad pœnitentiam, impellere debet Sacerdotes, ut orationi instantes sint; sed insuper ex individuis rationibus cuilibet Sacerdoti summe necessaria est oratio, ne, quod de se fatetur Apostolus, dum aliis prædicamus, eorumque salutem procuramus, ipsi nos reprobi efficiamur.

Omnibus hominibus necessaria est oratio ut cœlestis regni hæredes fiant; propterea monet Apostolus, "sine intermissione orate;" atque Christus Dominus apud S. Lucam profert similitudinem, ne ab oratione cessemus. Luc 18. 10. Sicut avis a Creatore ad volatum destinata est, quo eum glorificet, pari modo homo super terram destinatur ad orationem, qua os suum Creatorem laudet et magnificet.

Qui non orat, Deum non honorat; sed neque a Deo quidquam expectet, cui nihil tribuendum censet.—Eloquium est viri sapientis.

Quidve aliud sunt notæ et characteres firmæ et vivæ fidei nostræ, sanctæ spei et charitatis atque Sanctorum communionis in Ecclesia Jesu Christi, quam pii affectus, ardentia suspiria et orationes Christianorum pro invicem ad omnium Patrem in cœlis?

Magna proin necessitas et debitum orationis est pro quovis Christiano; quanto magis necessaria esse debet oratio Sacerdoti?

Sacerdos *sine oratione* equidem vir est Deo consecratus; sed est spiritu Dei destitutus, nec gaudium aut spem in Deo habens;—minister est religionis, quin ipse religionis officia exerceat; dispensator est beneficiorum Dei, quin ipse eorum participet. Sacerdos mediator est inter Deum et homines, ut, vices gerens Christi, offerat dona et sacrificia, et Domino paret plebem perfectam; quomodo grande hoc ministerium explebit sine oratione? . . .

Nos Sacerdotes Deo toti sumus devoti et consecrati; cor nostrum propius Deo adhærere debet, quum vocatio nostra propior Deo sit, qui nos elegit. . . Proin totus noster conatus et studium in eo situm sit oportet et dirigatur, ut frequenter Deum ore laudemus, debite eum revereamur, ardentius amemus, eique cum gaudio serviamus. "Conversatio nostra sit in cœlo," ait Apostolus, "unde Salvatorem expectamus, Dominum nostrum Jesum Christum."

Elucet inde spiritum orationis *statui Sacerdotis* omnino proprium esse debere; atque studium seu frequens exercitium orationis digni Sacerdotis notam esse et indicium.

Sed vero non sola *vocatio sancta* ad Sacerdotium Sacerdotem ad orationem impellit; sunt insuper necessitates propriæ, sunt *propria commoda* et *spiritualia lucra*, quæ Sacerdotem ad pie orandum instanter obligant.

Gratia Dei ejusque adjutorium iis duntaxat certo promissum est, qui devote illud implorant: "petite et accipietis, rogate et dabitur vobis." An forsitan nos Sacerdotes adjutorio Dei ejusque benedictione minus quam alii homines indigemus? Quomodo labores nostri et sollicitudines pro salute animarum benedictionem desursum accipient, si non oramus?

Oratio pro ipsomet Sacerdote vita est animæ suæ; pro aliis qui ipsius curæ spirituali commissi sunt, oratio Sacerdotis vis activa est et fructus operationum illius.

Hæc autem *cura propriæ animæ suæ*, illud unum necessarium, quantopere animare debet Sacerdotem, ut instanter oret!

Non satis est Sacerdoti, cujus munus est in mundo conversari ad lucrandas animas, ne se inquinari sinat a pestifero mundi afflatu; sed *magis fortis*, *magis modestus*, *ac sanctior sit* oportet, quam cæteri homines christiani; quibus bonus odor Jesu Christi, exemplar vitæ, ac *norma perfectionis esse* tenetur Sacerdos!

Quam grave debet accidere Sacerdoti, inter perversa mundi oblectamenta continuo versari, fallacia dictamina audire, contradictiones pati, et seductioni expositum esse; nisi ferventi oratione se fortem fecerit, ac *solidam constantiam* acquisiverit.

Tanta necessitas Sacerdoti incumbit, ut *orationi* instans permaneat.

Ante omnia ad devote recitandum Breviarium Sacerdos

Domini vi consecrationis suæ, sub peccato obligatur. Sed insuper, quoniam *spiritus orationis* est, qui Sacerdotem pium efficit et felicem in cunctis operibus suis, et quia in meditatione exardescit ignis, devotus Sacerdos ad piam meditationem quotidie aliquo tempore incumbere deberet. Examina quoque conscientiæ cum dolore et emendationis proposito, cum devota salutatione angelica, qua sub præsidium beatissimæ Virginis Mariæ pius Sacerdos se collocat, oratio est Deo acceptissima.

CONSIDERATIO

SACERDOS AD ALTARE SACRIFICIUM OFFERENS.

Introibo ad altare Dei.—*Ps. xlii. 4.*

Dignitas status sacerdotalis ex sublimi munere potissimum cognoscitur, ad quod Sacerdos, vices gerens Jesu Christi, a Deo assumptus est, ut *offerat dona et sacrificia.*

De Sacerdote ad altare Dei fit consideratio.

I. Suprema dignitas sacrificii sacerdotalis in se.

II. Ratio et modus, quo Deo altissimo offerri debeat.

I.

Consideramus primo sublimem *dignitatem sacrificii*, ad quod offerendum Jesus Christus novæ Legis Sacerdotes destinavit. Quo plus Sacerdos Domini pretiosi hujus, sibi commissi muneris, conscius sibi erit, tanto majori affectu illud administrabit.

"Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacificia pro peccatis." Ad Hebr. v. 1.

Ex hisce Apostoli verbis clare agnoscitur, quam sublimis in se sit dignitas sacerdotalis, et quantopere hæc dignitas per sacrificium augeatur, quod Sacerdotes novæ Legis Deo offerunt.

Hac sancta vocatione ad sacerdotium Sacerdos *ex hominibus assumitur;* a communi hominum classe veluti sejungitur;

atque ad dignitatem attollitur, quæ dignitatem Angelorum quodammodo superat, quibus potestas, hoc sanctum sacrificium offerendi non est concessa. O supremam potestatem, qualis Angelis Dei data non est ! (S. Laurentius Justinianus exclamat ;) hi sublimissimi spiritus adstant ad latus Dei ; . . . Sacerdotes tenent Deum in manibus, Deo vescuntur, et aliis quoque in cibum animæ illum porrigunt !

Addit Apostolus : "Ut *dona et sacrificia offerat pro peccatis.*" Ex his verbis dignitas Sacerdotis, ejusque officium illustrius adhuc apparet : — Qualiacumque dona pro peccatis Deo offeruntur, dignitas offerentis Sacerdotis, etiam juxta ordinem Aaronis, semper sublimis est, et super omnem dignitatem terrenam se longe extollit *propter sacrificium*, quod solis Sacerdotibus commissum est, ut Deo offeratur. Notum est, quid regi Osiæ acciderit, qui thura Deo oblaturus ad templum venerat : "Non est tui officii," inquiebat summus Sacerdos ad regem, qui in manu tenebat thuribulum, "non est tui officii, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium ; egredere de sanctuario."

Si tanta erat dignitas sacrificii in antiqua Lege, tantaque potestas eorum qui ad illud offerendum consecrati erant ; quis tremor nos Sacerdotes invadere deberet, dum ad altare Dei accedimus ; in quo non thura adolemus, sed dona et *sacrificia pro peccatis*, sacrificium redemptionis, Deo Patri Filium suum unigenitum in sacra Missa offerimus ; idem nimirum sacrificium, quod Jesus Christus in ara crucis cruento modo obtulit. (Concil. Trident.).

S. Bonaventura sacrosanctum Missæ sacrificium completionem appellat amoris divini et omnium gratiarum, quas Deus de cœlo hominibus immittit ; utpote cum eamdem vim operetur, eosdemque effectus producat, quos sacrificium crucis operatum est.

Hosce eximios fructus tantamque hujus sacrificii dignitatem utinam Sacerdotes Domini frequenter mente volvant ! . .

In sacra Missa illud idem sacrificium Deo offerimus, quod potestatem fregit tenebrarum ; portas inferni clausit ;—quod genus humanum ad pristinum statum suæ creationis reduxit ; —culpam hominum abstulit :—ac innumeris immortalibus animabus cœli januam aperuit.

Tanta est potestas, tanta dignitas Sacerdotum, quos Deus pro hominibus constituit ut dona et sacrificia offerant pro peccatis, *sacrificium redemptionis nostræ.*

Infinitam hanc sacrificii dignitatem, nostramque vocationem ad illud offerendum, sæpe perpendamus ; agnoscamus indignitatem nostram, oremusque suppliciter ut divina bonitas nos dignos efficiat.

II.—Ratio et modus quo digne Sacerdos celebret.

Sacrosanctum hoc sacrificium haud unice qua ministri altaris, sed *in persona ipsius Jesu Christi* offerimus.

S. Chrysostomus ait: "Si vides ad altare Sacerdotem celebrantem, imaginare tibi, quomodo manus Christi super eum invisibiliter extensa sit." - Ipsa verba sacræ consecrationis id clare demonstrant. Sacerdos hæc verba proferens, non dicit: hoc est corpus Christi, hic est sanguis ejus, sed: *hoc est corpus meum, hic es calix sanguinis mei.*

Consideremus ad quantam dignitatem, *personam Christi* per hoc sacrificium agentes, simus evecti! . . .

Utinam singuli Sacerdotes, omni possibili modo parati ad altare Dei introirent, ut digne hoc sanctum sacrificium offerant!

Ex natura actus adeo sancti tria a Sacerdote, qui celebraturus est, solerter observanda sunt: *Præparatio* ante Missam—ipsa *Missæ celebratio—gratiarum actio* post illam.

Ad præparationem quod attinet in remotam et proximam merito illa dividitur.

Præparatio remota integram vitam Sacerdotis respicit, in vitæ agendæ ratione quoad *cordis puritatem* et *vivam fidem;* quæ duæ rationes proximam quoque præparationem efficiunt.

Væ Sacerdoti, qui audeat, impura conscientia, id est, gravi peccato maculato corde, ad altare Dei accedere! . . . Sancti Patres voce adinstar tonitrui et fulguris adversus tales Sacerdotes intonant. "Nemo peccat gravius," inquit S. Petrus Damianus, "quam Sacerdos, qui indigne sacram Missam celebrat;" quicumque enim alio quovis modo peccat, Deum in creaturis ejus offendit; at, qui sacrilege Missam sacram celebrat, in ipsam personam Christi manus injicit. "Ejusmodi Sacerdotes," inquit S. Augustinus, "gravius quam ipsi Judæi peccant: hi Jesum in terris viventem crucifixerunt; illi in Jesum regnantem in cœlis manus injiciunt."

Quid accideret Sacerdoti, peccato mortali onusto, si ad altaris introitum, dum verba pronuntiat: "*Judica me Deus!*" ipse Deus illico ad judicium veniret? . . .

Huc verba Apostoli ad Hebr. x. 27. applicari possunt: "Terribilis autem quædam expectatio judicii . . . Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, moritur: quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est."

Talis Sacerdos salutem vertit in interitum—sacrificium vertit in sacrilegium—vitam vertit in mortem.

En itaque primaria conditio pro Sacerdote ad altare Dei introëuntis: *puritas cordis* ab omni gravi macula peccati;—

actus contritionis perfectæ ante celebrationem tunc tantum poterit supplere confessionem de peccatis, quando nullus confessarius præsto est, et ob concursum populi aut ex officio Missæ celebratio omitti non potest.

Altera præparatio ad sacram Missam est *vivificatio fidei ;* ut nimirum Sacerdos dignitate sacrificii totus imbutus, in persona Christi, spiritu in Golgotha constitutus et ab Angelis circumdatus, hoc redemptionis humanæ *sacrificium offerat*, et præscriptas ab Ecclesia rubricas, in ædificationem fidelium solerter observet. . . . Absit ne nimis properando perfunctorie absolvat.

Ad *gratiarum actionem* post Missam quod attinet, considerare et affirmare licet, Sacerdotem, qui puro, ac amore Dei accenso corde, atque viva fide sacrificium missæ obtulit, haud nimis celeriter, quin gratias justas Deo egerit, ab altari recessurum esse.—A fideli populo post susceptam sacram communionem debitam commorationem in templo pro gratiarum actione merito exigimus ; quantopere decet, ut ipse celebrans sancto suo exemplo præluceat !

Ipsi nos sacram hanc *conversationem cum Jesu*, quem modo in cor nostrum pie suscepimus, probemus ; et eximium fructum pro sacerdotali vita nostra, atque cœlestem benedictionem super oviculas, pastorali nostræ curæ commissas, læti experiemur.

CONSIDERATIO

SACERDOS IN CONFESSIONALI ANIMAS SANANS.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt.—*Joan. xx.* 22.

Hæc verba ad Apostolos suos proferebat divinus Magister ; —per hos autem ad omnes illos, qui per *consecrationem* et *sacram missionem* in ministerio pro regno Dei, Apostolos secuturi sunt, locutus est.

Hoc alterum principale officium est Sacerdotis, qui tanquam mediator inter Deum et homines constitutus est : per hoc sublime ministerium Sacerdos *potestatem divinam* in *mysticum corpus Christi*, super fideles in Ecclesia Christi exercet, atque munus administrat, quod, haud minus quam sacrificium, dignitatem Sacerdotis admirabilem efficit, angelicis etiam humeris formidandum, uti Concilium Tridentinum effatur.

Quid inde? An fors propterea humeros nostros tam gravi oneri subtrahemus; hoc nequaquam.—Cum enim jam ad Dei servitium simus consecrati, et, quod speramus, a Deo electi; oportet, cum Apostolo profiteamur: "*Necessitas mihi incumbit,*" necesse nobis est, ut hujus sacramenti administrationem, qua sanctissimum nostrum *ministerium et debitum*, consideremus; ne quando Dominus in sua remuneratione nos, sicut servum nequam, interpellet: "redde rationem villicationis tuæ."

Proficuum nobis fore existimo, si rite consideremus:

I. Quam grande munus sit reconciliatio peccatoris in sacramento pœnitentiæ.

II. Quæ sint conditiones, ut digne administretur, et omnis sacrilega dispensatio evitetur.

I.

Sublimem dignitatem sacramenti reconciliationis verba Jesu Christi dilucide demonstrant (Matth. xviii. 18).

"Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo."—Tanta fit *potestas Sacerdotis* super terram, ut *cæleste judicium* ejus judicio velut subjiciatur.

Consideremus Sacerdotem Dei ad lectum magni peccatoris adstantem; sinamus choros Angelorum illac transire; ne unus ex his cœli principibus vel unum peccatum illi dimittere poterit.—Accedit humilis Sacerdos: in nomine Jesu Christi verba profert: "*Ego te absolvo,*" et remittuntur misero peccatori qualiacunque gravia peccata, dummodo rite, etiamsi minus perfecte, cor ejus contritum fuerit. Hæc potestas vere divina est, quam Dominus insufflans Apostolis, elargitus est, dicens: "Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur illis."

S. Augustinus ait: "Majus et illustrius divinæ potentiæ et misericordiæ opus est, ex peccatore justum facere, quam e nihilo cœlum et terram creare."

Cardinalis Hugo Dominum Deum ad Sacerdotem, qui peccata dimittit, ita loquentem inducit: "Cœlum et terram ego creavi; tibi potestatem tribuo melioris ac nobilioris creationis: ex anima peccatrice animam mundam creandi. Ego ordinavi ac præcepi, ut terra producat fructum suum; tibi trado potestatem, fructus vitæ producendi in animabus fidelium."

In hoc itaque pœnitentiæ sacramento nos Sacerdotes Domini *munus vere divinum* administramus, quod Spiritui Sancto proprium est. Quare divinus Salvator discipulos insufflans, dixit illis: "Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sunt."

Clarissime inde elucet, quali modo confessarii dispositi sint oporteat, ut hoc sanctum sacramentum, hoc divinum judicium administrare audeant.

II.

Ut digne hoc pœnitentiæ sacramentum administretur, oportet confessarii Spiritu Sancto et donis ejus sint repleti.

Si quando in sacerdotalibus functionibus Spiritus Sancti influxu et gratia opus habemus ut *donis ejus repleamur*, id potissimum in administratione hujus sacramenti locum habet; ut Spiritu Domini imbuti et *sancto timore pleni* in hoc judicium intremus.

Spiritus sapientiæ nos ducat et impleat; est enim actus judicialis, quem in nomine Christi exsequimur.

Spiritus consilii: etenim animarum curatores et medici sumus, quibus spiritualia pharmaca præscribamus.

Spiritus fortitudinis: nam non tantum a peccatis solvere, sed etiam quandoque alligare, ex officio debemus.

Spiritus pietatis: enim vero cor vere pium, cum Deo unitum, verba vitæ pœnitentibus cum unctione proferre poterit.

Spiritus intellectus: ut judicium, quod ferimus, rectum sit nobis ipsis et pœnitentibus vere ad salutem.

Est itaque maxime necessaria conditio, ad hoc divini Tribunalis officium digne ministrandum, ut *a Spiritu Sancto missi*, id est a Spiritu Domini impulsi, et eodem impleti, ad confessionale accedamus.

Propterea, quod ad missæ sacrificium celebrandum prærequiritur, ut ipse *Sacerdos in statu gratiæ sit*, non audeat confessarius, qui gravis peccati sibi conscius est, ad confessionale accedere, quin prius vera contritione, se Deo reconciliare satagat. Vere tremenda, attamen vera cogitatio est, quod confessarius, si sacrilege hoc sacramentum administraret, dum sincere dolentibus peccatoribus cœlum aperit, ipse seipsum tanto profundius ad infernum detrudat.

Quod *ad necessariam scientiam attinet*, quæ ad administrationem sacramenti pœnitentiæ requiritur, quilibet confessarius corde illlam habeat, et per approbatos magistros et libros, in hac scientia vere divina se magis magisque perficere studeat; tum, ut salutari consilio pœnitentes ad vitam meliorem ducere noverit, aut seipsum ab omni periculo lapsus, cui posset expositus esse, caute liberet; tum ne ignorantia sua causa fiat pœnitenti ad mortem animæ.

Potissimæ autem virtutes in administratione hujus sacramenti exercendæ, sequentes sunt:

Prudentia, Mansuetudo, Charitas.

Prudentia: Ut nimirum confessarius juxta conditionem cujusvis pœnitentis et circumstantias, ad rite cognoscendum statum animæ ejus, quæstiones faciat, eumque examinet eo fine, ut monitis salutaribus et consiliis eum ad bonum exhortari, ab animæ maculis rite purgare, contra relapsum in peccata efficaciter munire, et ad frequentem usum hujus sacramenti animare possit.

Mansuetudo: S. Bonaventura inquit: "Confessarius pœnitentiæ sacramentum administrans nec nimis laxus, nec nimis severus esse debet: si nimis facilem se præbeat, temeritatem causat, et sacramentum exponit sacrilegio: si nimis severum, inducit desperationem."

Cum consuetudinariis, et iis, qui in proxima peccandi occasione versantur, severitate procul dubio opus est: sed etiam in hisce casibus confessarius mansuetudinem exerceat; ut cognoscat pœnitens, hunc rigorem ad conversionem suam et animæ salutem necessariam esse.

Charitas imprimis, amor erga Deum et proximum, quæ omnium virtutum corona est, confessarium impellat ut sine discrimine divites et pauperes, sublimes et infimos, senes et juvenes, justos et peccatores, quatenus omnes animas habent pretioso sanguine Jesu Christi redemptas, audiat, eosque ducat;—unde zelus ejus inflammetur, ut qua bonus pastor oviculas perditas quærat, qua pius Samaritanus vulnera sanet, qua misericors pater prodigos filios in gratiam suscipiat.

CONSIDERATIO

SACERDOS IN SANCTA CATHEDRA FIDELES ERUDIENS.

Prædicate Evangelium—Docete omnes gentes.
—*Marc. xvi.* 15, *et Matth. xxviii.* 29.

Inter munera et officia, quæ Sacerdotes novi fœderis qua vices Christi gerentes, in se susceperunt, haud minoris momenti est munus prædicandi Evangelium, docendi omnes gentes.

"Prædica verbum," ita monet Apostolus suum Timotheum, "insta opportune, importune, argue, obsecra in omni patientia et doctrina."

Illud est, quod divinus Salvator discipulis suis inculcat et præcipit dicens: "Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium; docete eos omnia servare, quæ ego præcepi vobis."

Quam gravem rationem reddituri sunt illi, qui ad hoc munus a Deo vocati, illud non implent, aut non recte, sicut par est, illud perficiunt.

Propterea nos ipsos ad exactam tanti officii impletionem exhortantes, lubenti animo *considerabimus:*

I. Quam grandis momenti sit munus prædicandi Evangelium.

II. Quæ dispositio necessaria—quodnam sit objectum, quis modus et complexus hujus docendi muneris.

I.

Supremam dignitatem, valorem et necessitatem hujus prædicandi muneris verba S. Pauli inculcant, qui ad Romanos, x. 17, ait: "Fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi;—omnis qui (sic in fide) invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? sicut scriptum est; quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!"

Hisce verbis Apostolus momentum et magnitudinem evangelicæ prædicationis, simul et gravitatem muneris, verbum Christi fideliter prædicandi, ponit ob oculos.

Per prædicationem verbi Dei fides in mundum inducta est;—verbum oretenus prædicatum radix est arboris evangelicæ, cujus fructus vitam spiritus generant.—Per prædicationem apostolicam fides in Ecclesia Christi conservatur, ulterius propagatur et vivificatur; ut in cordibus fidelium, quibus prædicatur, fructus ferat pacis cum Deo, cum seipsis et proximo.

Quidquid itaque fides grande habet, cœleste atque lætificum pro tempore et pro æternitate, id omne ex fonte prædicationis Evangelii profluit;—et hoc verbum prædicandi *nobis Sacerdotibus* a Domino commissum; quod proin non qua verbum hominum, sed, sicut vere est, verbum Dei, per Apostolos nobis traditum est, ut idem Apostolus ait.

Quilibet Sacerdos hic monitum Apostoli sibi applicare potest; "*Fratres videte vocationem vestram.*" Agnoscamus hoc grande nobis traditum ministerium verbum Dei prædicandi, Verbum illud, "per quod," ut Petrus Apostolus ait, "in admirabile lumen fidei vocati sumus:" hoc verbum salutis, quod gentilitatem dissipavit—animæ catenas dissolvit—homines in jura sua naturalia, in divinamque gratiam mirabili modo restituit; et quod terram omni benedictione replevit.

Hoc verbum Dei prædicamus ; atque juxta vocationem nostram, et missionem ad sacerdotium gravis necessitas nobis incumbit, illud nedum seminandi in cordibus fidelium, sed et nutriendi, ac contra errores defendendi.

Quam igitur dignum et justum est, ut illud verbum quantum in nobis est, ita prædicare conemur, prout essentialis ejus proprietas, *qua verbum Dei*, id postulat ; sicut dicit Apostolus : "Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum."

Hisce verbis Apostolus totam prædicandi rationem ; necessariam præparationem ; objectum et modum, totumque hujus apostolici muneris complexum, indicat.

II.

"Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum nostrum Jesum Christum." Est itaque prima et potissima conditio prædicandi muneris, nostraque præparatio, ut Christus in nobis vivat per vitam nostram, quo fiat, ut verbis nostris, seu ore nostro *Christum prædicemus ;*—ne inter illos numeremur, de quibus dolet Apostolus, "adulterantes verbum Dei" sed, uti ulterius ait : "ex sinceritate, *sicut ex Deo*, *coram Deo*, *in Christo loquentes*."

Ut autem verbum nostrum de cathedra loquentium vere sit ex Deo ; nostra vitæ agendæ ratio ex Deo in Christo pariter sit oportet ; Christus in nobis vivere debet ; aliter non Christum, sed nos ipsos prædicabimus, "adulterantes verbum Dei."

Quomodo enim viam perfectionis alios cum unctione docebimus, nisi ipsi nos id opere exerceamus, quod aliis suademus? . . . "Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum ;" quod ipse divinus Magister suo exemplo præstitit ; de quo scriptum est : "Cœpit Jesus facere et docere."

Necesse est, ut præco verbi divini suo exemplo fidelibus ostendat, quam sit efficax verbum Christi, quosque fructus in iis proferat, qui illud intelligunt, amant et exercent. Tale exemplum jus nobis præbet, aperiendi os nostrum ; ac ipsi verbo eximiam vim præbet, qua fideles convincuntur et animantur ;—ubi e contra Sacerdos, cujus agendi ratio non ad ædificationem servit, increpationem ex parte Dei et hominum juste percipiet : "Quomodo tu, cum peccator sis, enarras justitias meas?"

Sacerdos, qui, quasi alter Vincentius a Paulo, pietate sua communitati suæ lucet virtutum exemplo, talis tunc quoque prædicat, quando ore silet. Vita ejus continua exhortatio est pro bonis, increpatio pro malis : "loquitur tanquam potestatem habens." – Quicumque igitur Christum vere prædicare intendit, is, præter solidam scientiam in fidei veritatibus,

Ita vivere debet, sicut prædicat; tunc facile prædicabit sicut vivit.

Quod ad argumentum seu objectum attinet, quod prædicamus, et modum, quo illud proferimus; verba Apostoli id satis inuunt: "*prædicamus vobis Christum et hunc crucifixum.*" Nimirum: illud pro materia doctrinæ nostræ assumamus oportet, quod Jesus Christus ut verbum fidei ipse docuit, et prædicandum præcepit, dicens: "docete eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis." Proin doctrinæ nostræ sive dogmata fidei, sive morum præcepta pertractare possunt; utræque perinde necessariæ sunt.

Oportet autem *prædicemus sicut Christus;* quod ut fiat, nos cum Paulo dicere posse deberemus: "Ex Deo et coram Deo, et in Christo loquimur." Et primo quidem, quantum tempus permittit, solers præparatio præcedere debet, ut veritates et officia, juxta momentum et influxum eorum in vitam practicam pro præsenti vita et æternitate ac audientium necessitatibus, tradantur; ac per ferventem orationem Deo commendentur.

Ita præmuniti, atque *in spiritu cum Deo conjuncti*, et vices Jesu Christi gerentes, prædicabimus verbum cum fiducia, "tanquam Deo per nos exhortante." Et hoc semen verbi Dei uberrimum fructum afferet.

Sed non unice ex cathedra, verum ubicumque sese occasio offert, opportune et importune, *per omnem modum*, ut ait Apostolus, Sacerdos ad docendum, se paratum præbeat; maxime vero curam adhibens in scholis, ut parvuli edoceantur, et ut domestica instructio in re christiana in familiis vigeat.

Sacerdos tanquam Spiritu Jesu Christi repletus, qua doctor fidelium ubique se exhibere debet, ut, exemplum Jesu Christi sequens, cum gaudio eloqui possit: "Sinite parvulos ad me venire, talium est enim regnum cœlorum;" ut ita omni possibili modo mollia ista parvulorum corda quæ ad omnem gratiæ impressionem adhuc parata sunt, Deo lucretur, et ad cœlum apta perficiat.

In veritate affirmare licet: Etiam super terram maxime felicem et beatum esse Sacerdotem, *qui vere Sacerdos est:* . . . Id esse, et permanere statuimus ex gratia Dei, quæ data est nobis! . . .

VADE MECUM

Ex sacra solitudine, in qua Dominus ad cor nostrum locutus est, ad propria revertentes, qua spirituale viaticum, verba Domini nobiscum assumamus :

Esto constans usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.—Apoc. ii. 10.

Ut autem, his sacris exercitiis peractis, hanc constantiam in bono, et sanctam perseverantiam fideliter servemus, juvabit frequenter recordari illius Spiritus Sancti effati, quo monet Dominus :

Ecce venio cito ; tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. -Apoc. iii. 11.

Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.—Matth. x. 22.

Regulasque vitæ Sacerdotalis (p. 23) cordi habeamus.

ORATIO.

En Ego, O bone et dulcissime Jesu ! ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi adore Te oro atque obtestor ; ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum pœnitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero, et mente contemplor ; illud præ oculis habens, quod jam in ore suo ponebat David Propheta de Te, O bone Jesu ! *Foderunt manus meas, et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Decreto die 10 Aprilis, 1821, SS. Dominus N. PP. Pius VII. concessit plenariam peccatorum remissionem, animabus in purgatorio applicabilem, omnibus fidelibus, qui corde contrito confessi et sacra refecti synaxi, ante sanctissimi crucifixi imaginem hanc orationem pie recitaverint, et pro felici statu sanctæ Ecclesiæ oraverint.

LITANIÆ SANCTISSIMI NOMINIS JESU.

Kyrie eleison, Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos,
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritu Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu splendor Patris,
Jesu candor lucis æternæ,
Jesu Rex gloriæ,
Jesu sol justitiæ,
Jesu Fili Mariæ Virginis,
Jesu admirabilis,
Jesu Deus, Fortis,
Jesu pater futuri sæculi,
Jesu magne concilii Angele,
Jesu potentissime,
Jesu patientissime,
Jesu obedientissime,
Jesu mitis et humilis corde,
Jesu amator castitatis,
Jesu amator noster,
Jesu Deus pacis,
Jesu auctor vitæ,
Jesu exemplar virtutum,
Jesu zelator animarum,
Jesu Deus noster,
Jesu refugium nostrum,
Jesu pater pauperum,
Jesu thesaurus fidelium,
Jesu bone Pastor,
Jesu lux vera,
Jesu sapientia æterna,

Miserere nobis.

Jesu bonitas infinita,
Jesu via et vita nostra,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Magister Apostolorum,
Jesu Doctor Evangelistarum,
Jesu fortitudo Martyrum,
Jesu lumen Confessorum,
Jesu puritas Virginum,
Jesu corona Sanctorum omnium,

Miserere nobis.

Propitius esto! parce nobis Jesu.
Propitius esto! exaudi nos Jesu.

Miserere nobis.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
Per Nativitatem tuam,
Per Infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

Libera nos Jesu.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *Parce nobis Jesu!*
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *Exaudi nos Jesu!*
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, *Miserere nobis Jesu!*
Jesu audi nos! Jesu exaudi nos!

℣. Exaudiat nos Dominus Jesus Christus. ℟. Nunc et semper.

OREMUS.

Domine Jesu Christi, qui dixisti : petite et accipietis ; quærite et invenietis ; pulsate et aperietur vobis : quæsumus, da nobis petentibus divinissimi tui Nominis et amoris affectum, ut Te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua numquam laude cessemus.

Humanitatis tuæ ipsa Divinitate unctæ, Domine Jesu Christe, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Qui vivis et regnas, etc.


060.32
J151

JACOBS Prezire

AUTHOR

6415

Exercitia Spiritualia in Sacra

TITLE Octo Dierum Solitudine

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Hiccup	
	W O'Brien	
	Sexton	
	Brady	
	M Holy	
	Kindall	
	STORAGE	

6415